UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Q. Septimii Florentis Tertvlliani Carthaginiensis Presbyteri, Opera Qvæ Hactenvs Reperiri Potvervnt Omnia

**Tertullianus, Quintus Septimius Florens**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M. DC. XVII.**

Tertvlliani Carthaginiensis Presbyteri, Opervm Toms Qvarts, Qvo Continentvr Poemata Sacra Et Opervm, Qvæ Desiderantvr, Notvlæ; Cvm Argumentis & Adnotationibus Iacobi Pamelii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71872

Visual Library

Q. SEPTIMII FLORENTIS

# TERTVLLIANI CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM

## TOMVS QVARTVS,

QVO CONTINENTVR POEMATA SACRA ET OPERVM, QVÆ DESIDERANTVR, NOTVLÆ; CVM Argumentis & Adnotationibus Iacobi Pamelii.


Aduerſus Marcionem libri quinque. pag. 627.
De iudicio Domini. 641.
Geneſis. 644.
Sodoma. 645.
Ad Senatorem ex Chriſtiana Religione ad Idolorum ſeruitutem conuerſum. 647.
Apologetici pro Chriſtianis in Græcum conuerſi fragmenta, cum verſione Latina. 648.

Notulæ:
Libri de Spectaculis Græci. 650.
De Virginibus Velandis libri Græci. ibid.
Libri de Baptiſmo Græci. ibid.
Ad amicum Philoſophum de nuptiarum anguſtiis, ſeu de Virginitate, libri. 651.
Libri de Fato. ibid.
Libri de mundis & immundis animalibus. 652.
Libri de Circumciſione. ibid.
De Veſtibus Aaron libri. ibid.
De Trinitate. 653.
De Cenſu Animæ adu. Hermogenem libri. ibid.
Aduerſus Apelletianos, qui diſputabant, an qui ſpiritum & voluntatem & virtutem Chriſti habuerit, ad ea opera dignum aliquid pœnitentia egerit, libri. 654.
Libri de Paradiſo. ibid.
De ſpe Fidelium libri. 655.
Librorum ſex de Ecſtaſi. 656.
Aduerſus Apollonium libri. 657.

# IACOBI PAMELII AD LECTOREM PRÆFATIO DE QVARTI TOMI LIBRORVM ORDINE.

TOMO quarto qui Libri, quo ordine ſint collocati, rationem vti reddamus pro eo quod polliciti ſumus: primo poſuimus loco, quos ipſius Tertulliani eſſe certo conſtat ADVERSVS MARCIONEM LIBROS QVINQVE, & DE IVDICIO DOMINI LIBRVM, ſicuti nuper inter Poemata Chriſtiana ſunt æditi. Deinde Carminum libellos ſubiecimus, GENESIM, SODOMAM, & AD SENATOREM, quos etſi B. Cypriano inter eius opera à nobis ædita adſcripſerimus, non putauimus tamen abſurdum ſequi cenſuram Sixti Senenſis; qui quum Tertulliano Librum de Sodoma adſcribat, quantum coniicio, MS. codicum fidem ſecutus; ex ſtylo prorſus eodem, comperi etiam illius eſſe reliquos duos. Porro in APOLOGETICI PRO CHRISTIANIS in Græcum conuerſi fragmentis, & eorum qui deſiderantur Librorum Notulis, eum ordinem obſeruauimus, quem in toto Tertulliani opere; præterquam, quod Græco ſtylo ab ipſo Auctore æditos ſimul coniunxerimus, vtpote DE SPECTACVLIS, DE VIRGINIBVS VELANDIS, & DE BAPTISMO. Poſt qnos Paræneticorum AD AMICVM PHILOSOPHVM, ac DE FATO, & deinceps Exegeticorum DE CIRCVMCISIONE, DE VESTIBVS AARON, ac DE MVNDIS ET IMMVNDIS ANIMALIBVS, mentionem addidimus. Hinc aduerſus Hæreſeis ſcriptorum, DE CENSV ANIMÆ ADVERSVS HERMOGENEM, & ADVERSVS APELLETIANOS. Denique eorum, qui aut initio defectionis ad Montanum, aut in fine vitæ hæreſi illius fauentia conſcripſit, DE PARADISO, DE SPE FIDELIVM, DE ECSTASI, & ADVERSVS APOLLONIVM. His vale in Chriſto fœliciter, & ſi quod aliquando dictorum Librorum exemplar nactus fueris, aut nobiſcum communicato adiiciendum æditioni ſecundæ, aut ipſe in lucem ædito.

A E

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, LIBRI CARMINE CONSCRIPTI.

B F

## ARGVMENTVM LIBRI PRIMI ADVERSVS MARCIONEM EX IPSO TERTVLLIANO, AD Libri quinti auſpicium.

PRimus erit referẽs inimici ex ordine verba,
Quæ refuga illicite molitus protulit amẽs;
Hinc etiam carnis ſpes & victoria Chriſti,
Et ſpecies breuiter falſarum dicta viarum.

*Ceterum Libros hos quinque qui primus inter Poetarum veterum Eccleſiaſticorum opera Chriſtiana in lucem ædidit Georgius Fabricius, eos eſſe exiſtimat (in quo & ego non diſſentio) quorum facit mentionem Tertullianus initio Libri primi aduerſus Marcionem in hæc verba:* Si quid retro geſtum eſt nobis ADVERSVS MARCIONEM, iam hinc viderit. Nouam rem adgredimur ex vetere. Primum opuſculum quaſi properatum, pleniore poſtea compoſitione reſcideram. Hanc quoque nondum exemplariis ſuffectam, fraude tunc fratris dehinc Apoſtatæ amiſi, qui forte deſcripſerat quædam mendoſiſſime, & exhibuit frequentiæ. *Quod ipſum de hoc opere veriſſimum cum Fabricio confiteor, qui conqueritur, quot pene verba, tot fuiſſe menda, quot verſus, tot maculas, addens, quamquam plurimos errore ſuſtulerit è veſtigiis antiquæ ſcriptionis (videsfuiſſe illi ms. exemplar à Ioanne Heroldo ſecum communicatum) tamen in reliquiis, inquit, Lector videbit, quantum adhuc ſuperſit, quod emendatione indigeat. In quo nos etiam aliquid conatos ex Adnotationibus noſtris deprehendet Lector, & eramus pluſculum aliquid facturi, ſi ad manum fuiſſet codex aliquis ms. Addit idem: Tertulliani hoc opus imperfectum eſſe, rem declarare.* Nam impetum ſuum, *inquit*, ſecutus, donec emendationis tempus daretur, multa contra præcepta metrica fecit, quorum aliqua excuſationem temporis habent, aliqua poſſunt excuſari Grammaticorum figuris, aliqua feſtinationi Auctoris tribuenda ſunt, qui cogitauerit opus ſuum quaſi delineatum ſub incudem, vt dicitur, reuocare. Qualia ſunt quod cæſuram libenter facit, item quod Ablatiuum primæ declinationis corripit, item quod colliſionibus non vſitatis indulget. Imitandi itaque gratia non proponuntur hæc carmina, ſed agnoſcendi propter pietatem, quæ in iſto viro ſingularis & grauis fuit, & ſtudium quod in res ſacras ad doctrinam vniuerſæ poſteritatis collocauit. *Hactenus ille. Siquis licentiam Poetarum veterum Chriſtianorum, atque adeo Auctoris noſtri deſideret noſſe exactius, legat Venerabilis Bedæ Librum de Arte Metrica.*

C G

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, ADVERSVS MARCIONEM LIBER Primus, [1] De vnico Deo.

Cap.I. Gen.3.

IM PIETAS 2 profunda mali, mens inuida vitæ,
Seductos homines ſpe poſtquam cepit inani,
Nudauit, ſuadendo (nefas) ſibi credere falſum.
Non impune quidem, facti nam protinus ille
Vt reus, & tanti ſceleris temerarius auctor
Accepit maledicta merens. Sic poſtea demens
Amplius aggreſſus, deſperatiſſimus hoſtis,
Infudit mentes hominum caligine merſas;
Oblitos Dominum, docuit ſpem linquere certam,
D
3 Idola vana ſequi, turbam ſibi fingere diuum;
Sortes, auguria, ſtellarum nomina falſa,
4 Naſcentum geneſes conſtringere, poſſe videre
Extorum inſpiciis, reſque exſpectare futuras;
Terribilis magicæ 5 refugarum 6 audacia ductos;
Confictam molem mirantes, ſpernere vitam,
Impulit in præceps, ſcelerata inſania merſos,
Sanguine gaudentes, homicidia ſæua minari;
Corpore in alterius tunc carnis vulnus amare,
Ardentes etiam, calida dulcedine captos,
Fœdera naturæ tranſcendere, corpora munda
Complexu infando ſexum maculare virilem;
Fœmineos vſus vulgi 7 contamine mixtos
Illicitos; caſtoſque ſinus, generique dicatos,
In coitum obſcœnum pro luxu ſuaſit haberi.
Talia, præterito graſſatus tempore, geſſit
Per latebras animæ, 8 ſepis manante veneno.
Non quia culparent homines, nam ſponte ſecuti;
Ille dolo ſuaſit, homo libertate peregit.
[9 Hæc dum continuo per ſecula perfidus halat, Cap.II.
Conſiliumque ſuum ſeductis cordibus infert,
Sperans (heu) ſceleriſque viam, ſe ſtultus habere,
Ignarus qualis maneat ſententia facti.
Turba Prophetarum tectis ſapientia verbis
10 Spiritu deque Dei præſaga voce loquentum H
Publice non audens Dominum maledicere nude,
Secreto ingenio ſperans ſe poſſe latere,
Tandem lux animæ carnis captiua tenetur,
Deſperatorum certat ſpes fortior hoſte.
Ipſe figurator, renouator corporis ipſe,
Gloria vera patris, Dei filius, vnicus auctor,
Iudex & Dominus venit, rex inclitus orbis,
Oppreſsis veniam dare promptus, ſoluere vinctos,
Cuius amicitiæ auxilio, patientia pœnæ,
11 Et Deus & renouatus homo miſcetur in vnum. Luc.2.
Virgo ſancta parit, patefit noua ianua vitæ,
Dicta Prophetarum factis impleta probantur, Matth.2.
Templa ſacerdotes linquunt, ſtellæ quoque ductu
Mirantur Dominum, tantum ſecernere partum,

A In vinum vertuntur aquæ, memorabile viſu,
*Ioan.2.* Lumina redduntur cæcis, iuſſuque trementes
*Matth.4.* Dæmones expulſi clamant, Chriſtumque fatentur.
Omnia ſanantur verbo iam tabida membra,
Iam graditur claudus, ſurdus ſpem protinus audit,
Dat dexteram mancus, loquitur magnalia mutus,
*Matth.8.* Fit mare tranquillum iuſſu, ventique quieſcunt.
Omnia cognoſcunt Dominum, confunditur hoſtis,
Iamque triumphatus, ferus armis paret iniquis.
Cap.III. [12 Omnia quum reuocata videt, quæ ceperat ipſe
Cladis in interitum, 13 merſam iam ſurgere carnem,
In cœlos hominem deuicta morte leuari,
Signari populos, effuſo pignore ſancto,
Mirandæ virtutis opus, inuiſaque facta,
Audit extremas flammarum in gurgite pœnas
A Domino ſibi perpetuas, tenebraſque paratas.
(Irreuocata Dei ſententia) nudus, inermis,
Damnatus, victus periturus morte perenni,
Iam reus, & nullam veniam ſe certus habere,
Protinus 14 extremum nefas auſus, ſpargere paſſim
Auribus horrendum verbum, neque voce loquendum.
Abiectos à plebe Dei, ſine luce vagantes,
Inuentos ſine mente viros, terrena ſequentes,
Aggreſſus praui prauos docet eſſe magiſtros.
Cap.IV. [15 Prædicat his duos eſſe patres, diuiſaque regna.
B Eſſe mali cauſſam Dominum, qui condidit orbem,
Quique figurauit carnem ſpiramine viuam,
Quique dedit legem, & vatum qui voce locutus,
Hunc negat eſſe bonum, iuſtum tamen eſſe fatetur.
Crudelem, durum, belli cui ſæua voluptas,
Iudicio horrendum, precibus manſueſcere nullis.
Eſſe alium ſuadens, nulli qui cognitus vmquam,
Qui non eſt vſquam, falſum ſine nomine numen.
Conſtituens nihil, & nulla præcepta locutus,
Hunc ait eſſe bonum, nullum qui iudicat, æque
Sed ſpargit cunctis vitam, non inuidet vlli.
Iudicium negat eſſe reis, dulcique cruentum.
Circumfert miſeris mixtum cum melle venenum.
Surgere poſſe negat carnem, cui cauſſa ruinæ
Ipſe fuit, quam contemptam ſpoliauit inique,
*Gen.3.* Propterea maledictus habet ſine fine dolorem,
Hoſtis huic ſemper, vario quia vulnere vitam
Nititur excutere, &, de qua ruit ipſe, ſalutem.
Inque hoc & Chriſtum terris veniſſe repente,
Sed nulla ſocium carnis compagine factum,
Spiritus at forma, & fictum ſub imagine corpus,
Fallere vult homines, quod non eſt, eſſe videri.
Cap.V. [16 Hoc decet ergo Deum, caligine ludere ſuaſos,
Mentiri (nefas) aut hominem ſe dicere falſo?
Portatur, graditur, veſtitur, rite quieſcit,
Tractatur, paritur, ſuſpenditur, & ſepelitur,
Omnia ſunt hominis, quæ ſancto in corpore verſans
*Matth.27.* A patre vero Deo miſſus, qui cuncta creauit,
C Perfecit proprie, ſua, non aliena requirens.
Cognitus ipſo opere, populis ſperantibus olim,
Perque Prophetarum vocem notiſſimus orbi,
Et nunc errantem manifeſto in limine mortis
Ignotum Dominum quærunt, notumque relinquunt.
*1.Cor.15.* (Quorum falſa fides, falſus Deus 17 irrita merces,
Falſa reſurrectio, mortis deuictio falſa,
Martyria & vacua, & Chriſti quoque nomen inane.)
Quem magicæ nebulæ ſimilem veniſſe docentes,
Mendacem facti dementes eſſe fatentur,
Nequidquam paſſum, populum ſine crimine fict[illegible]m.
Sic verax Deus, hi Domino referuntur honores?
Heu miſeri, gratis ingrata morte perempti,
Qui cæco duce præcipites in foſſa ruiſtis,
Et velut in ſomnis theſauri munere diues
Exultat, manibuſque tenet, ſpe luſus inani,
Decepti, vacuam ſperatis muneris vmbram.
Cap.VI. [18 Ah tabidi, rictus, funeſtave præda draconis,
Speratis pro pace truces homicidia blanda:
Auderis culpare Deum, qui tanta creauit,
In cuius terris, nimia pietate profuſa,
Immemores, large laudatis dona ruentes?
Ipſum factorem reprobatis, facta probantes,
Artificem mundi, cuiuſve opus eſtis & ipſi?
Qui vobis magnos paruis donauit honores,
D Proſeuit fruges, animalia cuncta ſubegit,
Tempora cui certis fœcundat menſibus anni,
Dulcores, potus varios, pingues & odores,
Iucundos flores, nemorumque vmbracula grata,
Mirificos tribuit ſuccos pudentibus herbis,
Fontes & fluuios diffundit dulcibus vndis,
Sideribus cœlum, totumque illuminat orbem,
Immenſus ſolus Dominus, iuſtuſque, bonuſque,
Cognitus ex opere, aſpectu non cognitus vlli.
Quem ſtultæ, quamuis gentes errore 19 copertæ,
Florentes opibus, alieno nomine laudent,
Factoremque tamen gnari culpare verentur.

Nec quiſquam tantum, niſi vos, noua porta gehennæ,
Ingrati eligitis Dominum maledicere veſtrum. E
Hæc vobis per Marcionem 20 Cerdone magiſtro,
Terribilis refuga adtribuit fera munera mortis.
Nec venit in mentem, quod vos à nomine Chriſti
Seductos, ad Marcionis tulit infima nomen.
Dicite, de multis quid vobis diſplicet vnum?
Quidve Deus fecit, quod non ſit laude vehendum?
Aut illud: quod vos nimium, patientia larga
Indignos, dulcem permittit cernere lucem?
Qui legitis vera, & conciſa ea falſa docetis,
Quæ ſunt poſtque futura, prius hæc facta probatis.
Aut incredibile, quid differt credere veſtrum?
[21. Nec mirum ſi vos verſutus cepit inermes,
Perſuadens duos eſſe patres, damnatus ab vno, Cap.VII.
Eſſe Deos, qui principio ſeduxerat omnes.
Poſt ea multiplici manantem vulnere peſtem
Diſtribuit multis, & inemendabile crimen.
22 Infandos omni magicæ dementia plenos
Perſuaſit, ſeſe virtutem dicere ſummam.
Fingere cum meretrice, nefas peragrare, volare.
23 Namque Valentino Deus eſt inſanus, & æuo
Triginta tribuit cœlos, patremque Profundum,
24 Bis docuit tingui, tranſducto corpore flamma.
25 Tantos eſſe Deos Baſiliden credere iuſſit,
Quantos & dies annus habet, tot denique mundos,
26 Marcus per numeros argumentatus acute, F
Tradidit in magicæ formam violare pudicam,
Offerri calicem, precibuſque in ſanguine verti.
27 Hebioni Chriſtum ſuaſit de ſemine natum,
Et circumcidi docuit, legique vacare,
Fontibus amiſſis elementa reſumere legis.
Extremum facinus verbis extendere nolo,
Aut omnes cauſas, aut nomina dicere cuncta.
Eſt per pauca ſatis crudelia multa notare,
Infandoſque homines atque organa ſæua draconis,
Per quos nunc tantum ſceleris ſine teſte locuti,
Semper factorem mundi culpare laborant.
[28 Sed reuocate pedem ſæui latronis ab antro, Cap.VIII.
Dum ſpatium datur, & patiens pietate perennis
Facta per errorem miſeris Deus omnia donat.
Credite vero patri vero, qui condidit orbem,
Verum qui Dominum miſit renouare ruinam
Imparibus legi, peccati in gurgite merſis,
Per vates olim, promiſſam afferre ſalutem.
Qui mandata dedit, hic & peccata remittit.
Exigit hic aliquid merito, quia credidit ante,
Aut donat large Dominus, quaſi debita ſeruis.
Denique conluſos populos pœnamque merentes.
29 Deleto elogio cunctos iubet ipſe lauari.
[30 Ergo totus homo credit, totuſque lauatur. Cap.IX.
Abſtinet aut patitur pro nomine vulnera vere, G
Verus ſurgit homo, vere mors victa ſilebit,
Sed non pars hominis anima, ſua parte relicta,
31 Percipiet palmam, ſocia quam carne laborans
In ſtadio luctata, ſimul coniuncta meretur.
Grande nefas, portare duos per vincula pondus,
Quorum ſit locuples vnus, atque alter egenus,
Et miſerum ſperni, fœlici præmia reddi.
Non facit hoc iuſtus, mercedis redditor æquus,
Et bonus, & diues, quem credimus omnia poſſe,
Suauis in ingratos, miſerendi plena voluntas.
Quin potius, cui maior ineſt mortalis egeſtas,
Poſſit vt æquari, ſocio prælatus, id vltro
Quicquid eget, tribuet locuples, ſic credere iuſſum.
Nec velle illicite Dominum culpare docendo
Suſciter, aut quam animam tamquam ſit paſſa ruinam,
Liberet à morte, & viuenti facta maneret
Copia de ſolo merito, quia fortiter egit.
Et caro, communem ſemper ſortita laborem,
Linquatur terræ, mortis ſit præda perennis.
Ergo hominis anima placuit Deo, fortibus actis?
Nullo ſola modo potuit ſine carne placere.
Vincla tulit, pœnas, caro membris vincula geſſit,
Contempſit mortem, ſed carnem morte reliquit.
Illa dolens genuit, hæc vita à vulnere cæſa eſt. H
Illa petit requiem, hæc ferro in puluere fuſa,
Piſcibus, alitibus, tabo, cinerique relicta eſt.
Frangitur infœlix laniata, ſparſa liqueſcit,
Surgere non meruit? quid enim committere ſola
Exanimis potuit? quæ ſic cauſſa inuida vitæ
Impedit, aut prohibet Dei dona capeſſere carnem,
Cumque ſua ſocia coniunctam viuere ſemper?
Cernere quid fuerit conuerſa in puluere quondam,
Poſt meritos renouata ferat Deo laudis honores,
Non ignara ſui, fragilis, mortalis, & ægra,
Certatis, magni poſſit quid viuida virtus,
Qui bonus atque potens vitam non inuidet vlli.
Hæc captiua fuit mortis, hæc vincta peribit,
Quam Dominus mira ſapientia fecit & arte?



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Hanc virtute ſua miranda ſuſcitat ipſe,
Hanc reuocat dux fortis, & hanc ſua gloria veſtit.
Ergo Dei aptauit ars & ſapientia corpus,
Quod cupit, his fieri, deeſt hoc virtute reduci?
Cauſſa poteſt pietati nulla reſiſtere ſanctæ;
Ne maior ſit cauſa mali, quam ſumma poteſtas;
Vt cognoſcat homo, iam nunc Dei munere ſaluus,
Mortalis quondam, nunc inuiolabile & ingens
Veſtitus lumen, viuus cum corpore totus,
Immenſum virtute Deum, pietate perennem,
Per Chriſtum regem, per quem via lucis aperta eſt;
Etiam luce noua, iam dono plenus vtroque,
Fructibus & viuæ paradiſi lætus amœnis
Laudet in æternum, cœleſti diues in aula.

# ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM primum aduerſus Marcionem.

1. De deo vnico.] *Adieci iſtud titulo, quod breue id ſit huius libri argumentum, ſicuti etiam primi libri adu. Marc. ſupra Tomo præcedenti.*

## CAP. I.

2. Impietas profunda mali, mens inuida vitæ, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: De prima hominis ſeductione, deinde & ad idololatriam per diabolum; *Eum enim more Tertullianico* Malum *appellat. Caſtigauimus vero paulopoſt*: poſſe videre, *pro* videri.

3. Idola vana ſequi, &c.] Idolum, *Beda teſte libro de Arte Metrica, media correpta ſemper Eccleſiaſtici, fortaſſis indulgentes conſuetudini vulgi, vſurparunt, atque adeo eſt contra fidem vetuſtæ lectionis, quod quidam in Prudentio, Sedulio, & Aratore loca aliquot ita mutauerint, vt producatur.*

4. Naſcentum geneſes conſtringere, &c.] *Aduerſus Genethliacos, qui* naſcentum geneſes, *id eſt, ortus*, conſtringere *nituntur ad certos euentus, plures locos habes ſupra.*

5. refugarum, &c.] *Similiter infra cap. 6.* Terribilis refuga adtribuit fera munera mortis, *accipiens* refugam *pro transfuga, ſicuti etiam Prudentius Periſtephanos. Et rurſum libr. 2. initio*: refugis ſpirantibus. *Et cap.* 4. refugarum immane tropæum. *Ac libr.* 5. Quæ refuga, *&c.* protulit amens.

6. audacia ductos, &c.] *Haud aliter paulopoſt*: ſcelerata inſania merſos, *& cæ. ſequ.* tectis ſapientia verbis, *item.* patientia pœnæ, *denique cap.* 7. magicæ dementia plenos, *ac cap.* 9. ſua parte relicta, *&*: ſapientia fecit & arte, *ac*: ſua gloria veſtit, *& frequentiſſime his libris quinque, corripiens Ablatiuos in â quia à Veteribus produci ſolent, more Chriſtianorum Poetarum, ſicuti tradit Beda lib. de Arte Metrica.*

7. contamine, &c.] *Eadem voce vtitur infra lib. 4. cap.* 4. plebem contamina plenam, *pro re contaminata, ſiue ſpurcitia & ignominia.*

8. ſepis manante veneno, &c.] Seps (*inquit Epiphan. hær. 36.*) *eſt reptile quadrupes, ſtellioni ſimile cuius morſus detrimentum pro nihilo reputatur, ſputum autem in cibum aut potum eiaculatum, ſtatim mortem ſumentibus inducit. Vnde aptiſſima eſt comparatio cum ſerpente diabolo, qui per pomi vetiti ſumptionem, veneno infecit hominem. Atqui ibi*: Non quia culparent homines, *&c. obſcurum eſt illud*: culparent, *niſi ſubintelligatur*: diabolum.

## CAP. II.

9. Hæc dum continuo per ſecula perfidus halat, &c.] *Titulum huic capiti dedimus*: De Chriſto hominis lapſi redemptore. Halat *vero hic accipitur, pro halitu inficere & corrumpere. Atqui eſt hic locus mutilus ad verſum illum*: Turba Prophetarum, *&c. cum ſequenti, quaſi voluerit dicere Auctor*: *Quamquam ſperaret hoſtis humani generis ſe ſceleris viam perpetuo retenturum apud homines, primum per Prophetarum verba impeditum, & quum nihilominus quod publice non audebat, ſecreto pergeret adtentare, veniſſe Chriſtum redemptorem.*

10. Spiritu deque Dei, &c.] *Non hic modo, ſed frequenter poſtea in libris carminum corripit*, u, *litteram ancipitem in fine verſuum. Tale eſt illud lib. 2. infra cap.* 5. pignuſque ſuo de ſpiritu fudit, *ac*: de ſpiritu vita, *& lib. 4. cap. 2.* nullus locus ambitu claudit. *Quale quid & ab aliis Poetis Chriſtianis vſurpari adnotat Beda. Eiuſdem farinæ eſt, quod e in fine corripitur in voce*: publice *& i paulopoſt in illo*: Dei filius. *Atqui ad phraſin Tertullianicam iam antiquatam pertinet*: Dominum maledicere, *tum hic, tum infra cap.* 6. *Item*: figurator *mox accipitur pro eo qui figuram indidit, ſicuti etiam infra cap.* 4.

Quique figurauit carnem ſpiramine viuam.
*& alibi ſupra.*

11. Et Deus & renouatus homo miſcetur in vnum, &c.] *Veram de incarnatione Chriſti & duabus eius naturis diuina & humana ſententiam, habes ſupra Tomo præced. libr. adu. Praxean cap.* 27.

## CAP. III.

12. Omnia quum reuocata videt, quæ cœperat ipſe, &c.] *Inſcriptionem huic capiti fecimus*: De hæreſeon aſperſione per diabolum.

13. merſam iam ſurgere carnem, &c.] *Iſtud ad Baptiſm. ceremonias pertinet, de quibus ſupra latius Tom. 3. lib. de Baptiſmo nu. 1. ſicuti & illud*: ſignari populos, *ad confirmationis ſacramentum, de quo etiam ibidem cap. 8. nu. 54. ac lib. de Præſcript. aduerſ. hær. cap. 40. num. 243.*

14. extremum nefas auſus, &c.] *Peculiare eſt Tertulliano* nefas *vltima breui, tum hic tum in illo, cap.* 5.

Mentiri (nefas) aut hominem ſe dicere falſo.
*cui ſimile eſt initio cap ſeq.* duos eſſe patres, *quale quid de littera* i *in fine dictionum correpta adnotauit Beda ex Prudentio, Sedulio, & Fortunato. Atqui mox caſtigauimus:*

Adgreſſus praui, prauos docet eſſe magiſtros,
*pro*: decet.

## CAP. IV.

15. Prædicat his duos eſſe patres, diuiſaque regna, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: De hæreſibus Marcionis. *Vtpote iſtis*: Prædicat his duos eſſe patres, *id eſt, Deos*, eſſe mali cauſſam Dominum, Iudicium negat eſſe reis, *contra quæ infra eſt liber*: de Iudicio Dei, Surgere poſſe negat carnem, *denique* Chriſtum, fictum ſub imagine corpus, *de quibus omnibus in genere latius ſupra dicto li. de Præſcript. adu. hær. c. 51. hær. 17. n. 322. & peculiariter de ſingulis librum 5. adu. Marc. Atqui paulopoſt caſtigauimus*: falſum ſine nomine numen, *pro*: nomen.

## CAP. V.

16. Hoc decet ergo Deum, caligine ludere ſuaſos, &c.] *Titulum huic capiti imponimus*: Confutatio hæreſeos de ficto Chriſti corpore. *Quod argumentum tractauit latius ſupra Auctor lib. de Carne Chriſti. Hic vero caſtigauimus*: quæ ſancto in corpore verſans, *pro* verſis. A patre vero Deo miſſus, *&c. pro eo quod erat*: Deo vero, *maxime quum & à Tertulliano, & ab aliis Chriſtianis poetis corripi ſoleat o, in fine dictionis, etiam adiectiuorum.*

17. irrita merces, &c.] *Pertinet hoc ad* mercedem operum, *de qua ſupra non ſemel, in ſequentibus adludit ad cap. 15. prioris Epiſt. ad Cor. Atqui illud*: in foſſa ruiſtis, *recte interpretatur Fabricius*: *in defoſſa, in ſentes latentes.*

## CAP. VI.

18. Ah tabidi rictus, &c.] *Inſcriptionem huic capiti fecimus*: Aduerſus hæreſin de Deo malorum auctore, *contra quam habes ſupra lib. 2. aduerſ. Marc. Neceſſario autem caſtigauimus* tabidi, *pro*: tacidi, *maxime quod illud Draconis epitbetum ſit.*

19. copertæ] *Pro* coopertæ, *ſicuti etiam infra libr 2. cap.* 1. Haſtæ mucrone coperto, *ac lib. 5. cap. 9.* Fluctuque fretoque copertis, *qua figura etiam in præteritis vtitur lib. 3. cap. 4.*

Peccati votum violenta morte coperuit.

20. Cerdone magiſtro, &c.] De Cerdonis magiſtri Marcionis *hæreſibus vide dicti lib. de Præſcript. aduerſ. hær. cap. 51. hær. 16. num.* 321.

## CAP. VII.

21. Nec mirum ſi vos verſutus cepit inermes, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: De aliis hæreſibus. *Caſtigauimus vero*: Nec mirum, *pro*: Nimirum. *Eſt autem notatu dignum, quod hæreſin vocet*: inemendabile crimen, *quippe quum experientia quotidiana id veriſſimum eſſe comperiamus in eis qui ſemel hæretici fuerint.*

22. Infandos omni magicæ dementia plenos, &c.] *Adludit ad Simonem Magum, de quo, quod* virtutem ſeſe ſummam dixerit, *vide dicti lib. de Præſcript. aduerſ. hær. cap. 46 hær. 1. num.* 301. *ſimul etiam de* Helena *eius* meretrice, *lib. de Anima cap. 34. num. 412. De volatu autem eius vide Egeſippum de excidio Hieroſ. lib. 3. cap. 2. & B. Maximum ſerm. de SS. Petro & Paulo.*

23. Namque Valentino, &c.] *De hoc vide dictum librum cap. 49 hær. 12. num. 315. & integrum librum aduerſus Valentinianos.*

24. Bis docuit tingui, tranſducto corpore flamma, &c.] *Intelligit hæreticos quoſdam qui bis baptizarent, ſemel in igne, quorum tamen alibi nullam mentionem reperi, præterquam quod Philaſtrius, quamquam adhuc ſubobſcure, lib. de hæreſ. Hermianis & Seleucianis adtribuere videatur, quod non in aqua, ſed in igne baptizarent, prætextu illius Ioannis Baptiſtæ, Matth.* 3. Ille vos baptizabit in ſpiritu & igne. *Subſtituimus autem more Tertullianico*: tingui, *pro*: tingi.

25. Tantos eſſe Deos Baſiliden credere iuſſit, &c.] *De hac hæreſi* Baſilidis *late Epiphan. hær. 31. vbi* Deos 365. quantos & dies annus habet, *nominatim enumerat. De eadem etiam aliquid ſupra diximus dicto lib. de Præſcript. adu. hær. ca. 46. hær. 4. num. 304. Peculiare vero eſt illud Auctori, quod addit*: tot denique mundos.

26. Marcus per numeros argumentatus acute, &c.] *Prorſus ſic caſtigandum hic* Marcus, *pro*: Marcion, *neutrum enim de* Marcione *ſcribitur, ſed de hæreſi* Marci *ex* Græcorum Alphabeto *compoſita,*

A *poſita, in qua* per numeros argumẽtatus eſt *vſq; ad* DCCCLXXXVIII. *vide ibidem ca.50.hær.15.num.*319.*De præſtigiis vero* magicæ, *quibus vtebatur, in* oblatione calicis, *li adu.Valent.c.4.n.32. Atqui facit pro confirmatione* ſacrificii Chriſtiani *etiam iſtud, quod* offerri calicem *dicat Auctor.*

27. Hebione Chriſtum ſuaſit de ſemine natum, &c.] *De hac hæreſi* Hebionis *vide ſupra lib.de Carne Chriſti, toto c.18. & de eo quod* legem propoſuerit cum Euangelio, *dicto li.de Præſcr.adu.hæret.ca.48.hær.* 11.*n.*313.

CAP. VIII.

28. Sed reuocate pedem, &c.] *Titulum huic capiti impoſuimus:* Reuocatio ab hæreſibus ad fidem Chriſti. *Vbi neceſſario caſtigauimus:* Reuocate, *pro:* reuocare, *&:* dum ſpatium datur, *pro:* detur. *Vſurpatur deinde* vero *coniunctio vltima breui, dum legitur:* Credite vero patri vero, *& ibi:* quia credidit ante, *accipitur* credere *pro concredere. Videtur vero corruptum illud:* Denique concluſos. *Sed emendauimus:* pœnamque merentes, *pro:* merentem, *eo quod præcedat:* populos.

29. Deleto elogio cunctos iubet ipſe lauari, &c.] *Accipi hic* elogium *ab Auctore pro certa alicuius rei inſtitutione adnotauit Fabricius, nec male, ſi retineatur vetus lectio:* Delecto elogio, *ſed quum locis ſupra citatis To.1. Apolog.c.2.n.22. & alibi, quantum memini,*
B *ſemper, in malam partem pro accuſationum titulo. hæc vox ab Auctore accipiatur, putauimus potius eſſe legendum:* Deleto elogio, *non aliter atque ibidem li.ad Scapulam, c.4. dixit:* ſciſſo elogio, *vt adludat ad illud Apoſtoli Coloſſ.* 2. Delens quod aduerſus nos erat chirographum delicti.

CAP. IX.

30. Ergo totus homo credit, &c.] *Inſcriptionem huic capiti fecimus:* De ſalute & reſurrectione non animæ modo, ſed & carnis, *quod ipſum latius tractauit ſupra li. de Reſurrectione carnis, cap.14. 15.16. & 17. contra hæreſin Marcionis, qui ſicuti habetur ſæpedicto lib. de Præſcr. aduerſ. hær.ca.51 hær.16.n.321. & hær. 17.nu.322.* Reſurrectionem animæ tantummodo probabat, carnis negabat. *Eſt vero etiam illud Tertullianicum:* pariter pro nomine. *Atqui caſtigauimus:* mors victa ſilebit, *pro.* mors vita. E

31. Percipiet palmam, &c.] *Facit iſtud ad confirmandam mercedem pro meritis operum bonorum, ſicuti & illud:* præmia reddi, *ac* mercedis redditor æquus, *&:* de ſolo merito, *denique:* Poſt meritos, *&c.* honores. *Atqui corrupti videntur illi verſus:*

Nec velle illicite Dominum culpare docendo,
Suſcitet, aut quam animam tamquam ſit paſſa ruinam, *&c. Item & ille:*
Cernere quid fuerit conuerſa in puluere quondam.

*vbi videtur locus mutilus.*

## ARGVMENTVM
### LIBRI SECVNDI ADVERSVS Marcionem, etiam ipſius Auctoris.

INDE ſequens, coniuncta docet myſteria Legis,
Inq; nouo Deus quæ fœdere tradidit vnus.

*Porro his verbis ſatis obſcuris indicat Auctor ſcriptum eſſe hũc librum,* DE CONSONANTIA VETERIS ET NOVÆ LEGIS, *quod adeo recens Titulo adiecimus, Prout etiam caſtigauimus:* Deus, *pro:* Diuis, *tum quod non ſemel his libris producat priorem ſyllabam dictionis* Deus, *tum quod non ſoleant Veteres aliquos* Diuos *vocare, tum denique quod ad inſtitutum faciat* Deus vnus *contra plures Marcionis Deos.* F

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, ADVERSVS MARCIONEM LIBER SECVNDVS, 1 DE CONCORDIA VETERIS & nouæ Legis.

Cap.I. C POſtquam fracta fides refugis ſpirantibus hoſtis,
Et glomerata dolis, emerſit peſtis operta
Sponte ſua, mendax contempto numine ſenſus
Confixit plagas, fallaci tramite pallens
Sanctorum dictis ſua miſcuit impia verba,
Inque bonum ſemen lolium miſerabile ſeuit.
Inde volens omnem cauſſam conſtare ruinæ,
Scilicet vt ſua facta Deo ſubſignet iniqua
Ocyus, & poſſit ſuaſos infigere pœnis,
Veris falſa tegens, & lenibus aſpera vertens,
Et roſeis ſertis haſtæ mucrone coperto,
Improuiſe necans incautos morte ſuprema.
Supremum nefas, intantum dementia merſos
Abruptos homines, numen ſine fine tremendum
Diuidere in partes, Chriſti ſublimia facta,
Falſa laude ſequi, culpareque geſta priora,
1.Cor.2. 2 Innumerata Dei miracula; viſa nec vmquam,
Ante nec audita, contentaque corde nec vllo,
Tam temere ſcelus illicitum componere verbis,
Aduerſum ſeſe duo teſtamenta ſonare,
Contra Prophetarum, Domini committere verba,
Diſſimili longe ſententia velle probare,
Omnem Legis & infamem deducere cauſſam,
Sanctorumque patrum vitam reprobare priorem,
Quos in amicitiam adlexit Deus, ad ſua dona.
Accipitur ſine principio pro parte minori,
Quatuor ex vno quum ſint, ex quatuor vnum,
D His tamen vna placet, reprobat tres denique partes,
Auctoremque ſui Paulum per multa capeſſunt,
Nec non ex ipſo furiebat in extima verba
Omnia quæ veteri de fœdere cumque locutus
Dura videntur eis, merito quia corde grauatis
Pondus Apoſtolicum, fulgentis gratia verbi,
Lumina prædicit menti, neque cernere poſſunt,
Cap.II. Spiritu lata putant hebetes, animalia digna.
[ 3 Sed vos, qui nondum penitus, duce nomine falſo,
Mente ipſe reprobi, penetraſtis ad intima mortis,
Diſcite 4 de fonte fluuium manare perennem,
Pſalm.18. Qui nutrit lignum, biſſenos gratia fructus,
Exit & in terram, ventoſque in quatuor orbis,
Tot fluit in partes fontis color & ſapor vnus.
Sic & Apoſtolico decurrit Eccleſia verbo,
Ex vtero Chriſti, patris omnis gloria plena, G
Sordes diluere, & fata mortua viuificare.
Quattuor in numero diffuſum in gentibus vnum
Electaque fide ſuſceptum, doctor opimus Gal.1.
Tradit Euangelium Paulus ſine crimine mundum Gal.2.
Abque hoc & Galatas vetuit diſcedere ſanctos, Gal.4.
Quos falſi fratres ſe circumcidere ſuaſos,
Atque elementa ſequi, noua libertate relicta.
Vmbræ futurorum veteri ſeruire docebant.
Has habuit Galatis cauſſas conſcribere Paulus:
Non vt Euangelii partem pro corpore toto
Exciperent modicam, maiori parte relicta,
Atque adeo non verba libri, ſed miſſus in orbem
Ipſe Chriſtus, Euangelium eſt, ſi cernere vultis,
A patre qui venit, ſolus bona nuntia portans
Teſtificata prius, cuius ingens gloria complet,
Oſtendens opere, quantus ſit conditor orbis.
Cuius facta, ſimul dictis coniuncta, fideles
Illi Matthæus, Marcus, Lucaſque, Ioannes,
Conſcripſere, mera, non extera verba locuti,
Spiritu ſancta Dei, tanto præſente magiſtro.
[ 5 Hic agnus Paſchæ ſuſpenditur hoſtia ligno, Cap.III.
Hunc Paulus phaſe, conſcribens decreta Corintho, 1.Cor.5.
Occiſum tradit, vitamque, Deumque futurum
Promiſſum, patribus quos illectauerat ante.
Cernite quid virtus, quid Paſchæ poſſit imago, H
Sic verum quid ſit poteritis Paſcha videre. Gen.22.
6 Ne fidus pater, & vates, cui pignus & hæres
Carus erat, quem forte Deus donauerat illi,
Hunc Deo mactaret, merito tentatus amore,
Supplicium magnum, ſanctus pro ſanguine ſanguis,
Connexus capite ſpinis oſtenditur agnus, Exod.12.
Hoſtia ſancta Deo. Cuius de morte piati
Eſſet vt in ſignum & vaſtatæ pignora gentis,
Sanguine ſignantur poſtes, & limina multa,
Immane auxilium, caro teſtis creditur eſca.
Ieſus tranſgreſſus Iordan, terraque potitus Ioſ.5.
Lege dedit Paſcham, gaudens atque immolat agnum.
Et reliqui magni reges, ſanctique Prophetæ,
Non ignorantes certæ promiſſa ſalutis,
Ingentemque, metu pleni, traſcendere legem,
Venturam ſummæ virtutis imagine molem,

Inſpe-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A Inſpectam è ſpeculo celebrarunt ordine Paſcham.
Denique ſi celeri primordia mente recurras,
Inuenies funeſta nimis, poſt impia verba.
Credulus, heu, facile nudatus tegmine vitæ,
Pellibus vt tegeretur homo, ſuſpenditur agnus,
Aut pecata necat, aut ſanguine funera delet,
Aut coperit nudos, 7 fouet aut ſuo vellere vulnus.
Non pecoris ſanguis humano ſanguine pluris?
Vt pro peccatis oblatus dirimat iram,
Aut multæ plebis: veluti ſi carior agnus,
Auxilium immane, tantæ tutela ſalutis,
Oblatus potuit pretium ſatis eſſe ſalutis?
At Deus omnipotens, cœli terræque creator
Immenſus, viuus, perfectus, luce perennis,
His non placatur, pecudum neque ſanguine gaudet.
Omnia mactentur pecora, grex omnis in aras
Decremet, vt veniam vel peccati expiet vnus:
Nequaquam Domini ſapiens maculata figura,
Tam vili pretio, caro fœda parauit honores:
Sed ſpes & promiſſa fides mortalibus olim,
Hæc operata tulit, magnæ rationis imago,
Præmeditata patris, nimia pietate parata
Venturum Chriſtum terris, hominemque futurum.
*Ioan. 1.* Quem viſum Ioannes baptiſmi primus apertor,
B Et vatum ſocius, necnon & Apoſtolus ingens,
Præcurſor miſſus certus, teſtiſque fidelis,
Auguſtus vita, ſublimi laude notatus,
Olim Paſcha Dei, verum quærentibus agnum,
Oſtendit tandem veniſſe, piacula facti
Qui delicta ſuo multorum ſanguine ſoluat,
Pro reprobis probus, & carus, pro vilibus vnus
Corpore homo, vitaque Deus, mactatus vt agnus,
Acciperet nos, & nobis ſe effunderet ipſum.
Sic placuit Domino, mortem ſpoliare ſuperbam,
Sic poterit miſerandus homo ſperare ſalutem.
*1. Cor. 5.* Hunc Paſcham Paulus mactatum prædicat agnum:
Nec ſpecies Domini pecoris ſublimis inertis
Conſimilis patitur, quapropter dicitur agnus:
Sed quia lauities renouata hæc corpora veſtit,
Dat tegimen multis, vmquam nec deficit ipſe.
Cap. IV. [8 Sic Dominus virtute patris, quos morte redemit,
Exutos ſua luce tegit, quæ ſemper in illo eſt.
*Luc. 15.* Ergo Paſtor ouem qui perdidit, ipſe requirit.
Is robur ſpinaſque vuæ calcare paratus,
Aut rabiem ſuperare lupi, pecudumque potiri,
Eripere fortis, contemptis dentibus vltro
Obiectat ſeſe Leo, pelle obtectus ouili,
Decipiens habitu, rapturus ſanguine fauces.
Adam vi captum ſic quærit Chriſtus vbique,
Ipſe viam gradiens, qua mors operata ruinam eſt,
C Omnia perluſtrans veterum monumenta virorum,
Singula perſpiciens, exemplis omnibus vnus,
Ex vtero incipiens inimicam expellere mortem,
Conceptæ ſimul in gremio cum ſemine carnis
Ætates omnes tacita ſapientia luſtrans,
Debita ſuſcipiens, cunctos mundare paratus,
Reddere factori multos, quos ſparſerat vnus.
Et quia terribilis puteo demerſus iniquo
Vir cecidit, ſuaſit virgo ſubducta dracone:
*Gen. 3.* Conſilio placuit, tegmen cœleſte reliquit:
Arguit hos lignum nudos, mors atra coegit.
Ex eadem maſſa ſimili ratione refecta
Iam renouata, redit flos carnis, & hoſpita pacis
Virgine deſponſa caro, non ex ſemine nato
Artifici coniuncta ſuo, ſine debito mortis
*Luc. 1.* Angelus hæc mandata patris, per ſidera defert
Lucida, vt angelica credantur nuncia fama
Virginis vt virgo, carnis caro debita ſoluat.
Talibus ingreſſus ſequitur veſtigia mortis
Paruulus immanis, ſenior puer, & iuuenis vir.
Poſt vbi iuſta viri completa eſt roboris ætas,
Paulatim ſolitus ſocia deperdere vita:
In fœdas etiam rugas, & inertia membra
D Mutari ſpecie vacuatis ſanguine venis
Conſtitit, haud habitum paſſus veteraſcere carnis,
Quaue manum extendit temere contingere lignum.
9 Qua die, quoue loco cecidit clariſſimus Adam,
Hac eadem redeunte die voluentibus annis
In ſtadio ligni, fortis congreſſus athleta:
Extenditque manus, pœnam & pro laude ſecutus
Deuicit mortem, quia mortem ſponte reliquit.
Exuit exuuias carnis, & debita mortis:
Serpentis ſpolium, deuicto principe mundi
Adfixit ligno, refugarum immane tropæum.
*Num. 21.* In cuius lignum Moſes ſuſpenderat anguem,
Et quotquot fuerant multis ſerpentibus icti,
Aſpicerent ipſum fictum fixumque draconem,
Poſt vbi ſecretas inferni venit ad vndas:
Atque ſuum victor captiuum luce retexit,
Aſtanti iuſſumque patris virtute peregit,

10 Sponte ſuum corpus quod liquerat, ipſe recepit. E
Cauſſa hæc mortis erat, eadem via facta ſalutis:
Nuncius ille doli, ſed pacis nuncius iſte:
Sponſa virum necuit, genuit ſed ſponſa leonem.
Virgo viro nocuit, ſed vir de virgine vicit.
Cuius in exemplum ſopito corpore ſomno,
Sumitur ex latere mulier, quæ coſta mariti, *Gen. 2.*
Quam carnem de carne ſua, deque oſſibus oſſa,
Euigilans dixit, præſaga mente locutus.
Mira fides, merito Paulus certiſſimus Auctor *1. Cor. 15.*
Chriſtum de cælis Adam docet eſſe ſecundum.
Veritas ipſa ſuis exemplis vſa refulget.
Nec cupit ex alieno acres oſtendere greſſus;
Pauperis hoc opus eſt, propriæ virtutis egeni:
Hæc Paulus docuit magnus myſteria docta,
11 Scilicet in Chriſto eſſe decus, tuum Eccleſia cernens *Ioan. 19.*
Huius de latere, ligno pendentis in alto
Corporis exanimi ſanguis manauit & humor.
Fœmina ſanguis erat, aquæ erant noua dona lauacri,
Hæc populi vera eſt viuentis Eccleſia mater,
De Chriſti noua carne caro, deque oſſibus oſſum.
12 Golgotha locus eſt, capitis caluaria quondam: *Matth. 17.*
Lingua paterna prior ſic illum nomine dixit:
Hic medium terræ eſt, hic eſt victoria ſignum.
Os magnum hic veteres noſtri docuere repertum. F
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum,
Hic patitur Chriſtus, pio ſanguine terra madeſcit,
Puluis Adæ vt poſſit veteris cum ſanguine Chriſti
Commixtus, ſtillantis aquæ virtute leuari. *Matth. 12.*
Hæc ouis eſt vna, quam ſe per Sabbatha viuam
Inferni è puteo ſtatuit ſubducere paſtor.
Propterea cunctæ carnis præmortua membra
Curabat Sabbathis, aut cæci à germine nati *Ioan. 5.*
Lumina, quæ nondum dederat, cernendo peregit: *Ioan. 9.*
13 Aut hominem totum exanimem, per Sabbatha viuum,
Deque ſepultura præſenti plebe vocauit: *Ioan. 11.*
Ipſe noui factor, veteris bonus ipſe refector,
Aut quæ defuerunt ſupplens, aut perdita reddens.
Hæc ineunte die ſancto, ſperantibus in ſe
Facturus plene pro pacto, poſſe docebat.
[14 Quid? Caro ſi moritur, nec ſpes datur vlla ſalutis? Cap. V.
Quas habuit cauſſas, hominem ſe fingere Chriſtus,
Et medicare homines, aut curam carnis habere?
Corruptela potens liquefactum ſoluere corpus,
Non poterit virtus Domini reuocare ſolutum?
Credunt interitu qui non ſua corpora ſolui,
Non credunt Domino, ſua qui vult merſa leuare,
Aut nolle præſtare bonum, neque poſſe potentem
Dicunt, ignari quanto de crimine lactent,
Infirmas auſi cauſſas præponere morti. G
In grano latet arbor, & hoc niſi terra ſepultum *Ioan. 12.*
Putreſcat, non dat decoratos arbore fructus.
Iam liquidæ ſtringentur aquæ: ſtridente rigore
15 Saxa fient, & ſemper erunt, niſi magna poteſtas
Soluerit inducto molli ſpirante tepore.
Viticulæ in gracili latet ingens corpore botrus,
Si quæras, non eſt: quum vult Deus, eſſe videtur.
Arboribus folia, ſpinis roſa, germina campis
Mortua deficiunt, & rurſus viua reſurgunt.
Hæc homini Deus ante oculos reuocata reformat,
Propter quem locuples, primus large omnia fecit.
Omnia nuda cadunt, ſuo corpore ſingula veſtit.
Cur hominem ſolum, cui tantos fudit honores,
Non tantum reuocet ſibi, quem ſuper omnia fecit?
16 Ergo caro & ſanguis Dei regno digna negatur,
Tamquam ſit Paulus proprie de carne locutus. *1. Cor. 15.*
Ille quidem magna docuit, ſed inania corda
Carnali ſermone putent, nam priſtina facta
Sanguinis & carnis voluit ſub nomine dicta,
Cœleſtis magni memoratus verba magiſtri,
Qui per aquam de ſe genitis ſui nomen honoris
Donauit, pignuſque ſuo de ſpiritu fudit,
Vt cuius fuerant homines virtute redempti,
Huius & acciperent renouati nomen honoris. H
Ergo quia populis nondum ſuo fonte renatis,
Sordibus antiquis tectis, & debito mortis *Ioan. 3.*
Ex veteri cauſſa regnum cœleſte negauit,
Dicens: humanum rurſus debere renaſci:
Quod natum eſt de carne, caro eſt, de ſpiritu vita:
Radicis veteris noua germina gloria mutans
Ablutum corpus iam non de carne vocari,
Hoc ſequitur, Paulus, ſic eſt de carne locutus
17 Denique dixit: Oportere ſuperindui veſtem,
Hunc habitum fragilem, mortalem contegi formam. *2. Cor. 5.*
Non aliud corpus dari, ſed prius illud inermem
Vndique regno Dei lato circumdari totum,
Momento aſpectus oculi mutabitur, inquit. *Ibidem.*
Vt rufæ ceræ facies diſpanditur herba,
Et mutat proprium candenti ſole colorem:
Sic eadem caro fulgenti de gloria ſumens,

A Gaudebit, ſemper gaudens, & morte carebit,
Deuictum clamans crudelem corporis hoſtem,
Glutitam mortem, fort s victoria Chriſtus,
Ingentes Deo ſumma ferens ad ſidera laudes.

# ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM SECVNDVM ADVERSVS Marcionem.

## CAP. I.

1. Poſtquam fracta fides refugis ſpirantibus hoſtis, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De hæreſibus Marcionis, & maxime qua dixit:

Aduerſum ſeſe duo teſtamenta ſonare,

qua quatuor tres Euangeliorum partes reprobabat, vnico Luca retento. *Emendauimus vero:* emerſit peſtis operta, *pro:* pectis, *quod vitio typographico videbatur irrepſiſſe, ſicuti etiam paulopoſt:*

Improuiſe necans in cautos morte ſuprema,

*pro:* Improuiſa negans. *Atqui pertinet ad phraſin Tertullianicam illud:* vt ſua facta Deo conſign t iniqua, *&:* ſuaſos, *pro: perſuaſos,* infigere pœnis, *& paulopoſt:* Domini commmittere verba.

B 2. Innumerata Dei miracula, viſa nec vmquam, &c.] *Iſti verſui coniunximus:*

Ante nec audita, contentaque corde nec vllo,

*& poſtpoſuimus illum:*

Tam temere ſcelus illicitum componere verbis,

*eo quod illic adludat ad illud Iſai. 64. & 1. Cor. 2.* Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, *quo fit vt etiam caſtigauerimus:* contentaque, *pro:* contemptaque, *Sicuti etiam paulopoſt:* quia corde grauatis, *pro:* grauati. *Porro etiam ibi mendum ſubeſſe videtur:*

Spiritu lata putant hebetes, animalia digna,

*aut locus mutilus, cui abſque ms. cod. mederi non licuit.*

## CAP. II.

3. Sed vos, qui nondum penitus, duce nomine falſo, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* De quatuor Euangeliis à Paulo & Eccleſia receptis. *Atqui:* nomine falſo, *intelligit nomen Marcionitarum.*

4. de fonte fluuium manare perennem, &c.] *Sollemne eſſe (Beda teſte) Poetis Chriſtianis, vt e in fine producant, duabus in dictione altera conſonantibus ſequentibus, ſicuti exempli gratia, tum hic auctori, & non ſemel poſtmodum, tum Iuuenco l. 4. Aſpicite ſcribas, & Prudentio Cather. cæde ſtupenda. Adludit autem ad biſſenos Apoſtolos, quorum ſonus* exiuit in omnem terram & in ventos quatuor C orbis, *id eſt, in fines orbis terrarum, ſicuti legitur Pſalm. 18. Atqui emendauimus:* Sordes diluere, *pro:* Sordide *(vbi noue accipit:* fata mortua, *pro mortuis hominibus) & mox:* Electaque fide, *pro:* Electoque.

## CAP. III.

5. Hic agnus Paſchæ ſuſpenditur hoſtia ligno, &c.] *Inſcriptionem huic capiti impoſuimus;* De Paſcha veteri, Chriſti figura. *Adludit vero ad illud 1. Cor. 5* Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, *& illud:* vitamque Deumque futurum, *refertur ad id quod ſequitur:* Promiſſum, *vbi ſequitur vox antiqua:* illectauerat, *& mox Poetico more producta in penultima vox:* poteritis.

6. ne fidus pater, & vates, &c.] *Abrahamum intelligit, cui Gen. 22. pro Iſaac eius filio, ad immolandum*

Connexus capite ſpinis oſtenditur agnus,

*ſicuti in eo quod ſequitur:*

--Cuius de morte piati
Eſſet vt in ſignum,

*ad Exod. c. 12. vbi* ſanguine agni *Paſchalis iubentur* ſignari poſtes & limina multa, *pro quo malim legere:* muta: *ſed nihil immutaui. Quibus adijcit &* Paſcham *celebratam, Ioſ. 5 Caſtigauimus autem paulopoſt:* aut ſanguine funera deler, *pro:* dolet.

7. fouet aut ſuo vellere vulnus, &c.] *Hic per licentiam Poeticam corripitur o littera in fine dictionis* ſuo, *ſicuti etiam frequenter poſtea in hiſce libris, de aliis Chriſtianis Poetis idipſum vide apud Bedam. Emendauimus etiam:* vt pro peccatis, *pro:* Aut, *vt id quod præ-* D *cedit:* Non pecoris, *ſit interrogatio, & accipiatur more Tertullianico:* Non, *pro:* Nonne. *Porro* agnum Chriſtum *probat etiam ex Euangelio Ioan.* 1.

## CAP. IV.

8. Sic Dominus virtute patris, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De comparatione primi parentis Adam, & ſecundi Chriſti. *Eſt vero Tertullianicum:* pecudumque potiri, *&:* eripere fortis. *ſic enim legimus e in fine producta, pro eo quod erat:* Eriperet, *Item:* virgo ſubducta dracone, *item non multo poſt:* ſine debito mortis, *ſic enim caſtigauimus pro:* debita, *ſicuti etiam:* veſtigia mortis, *pro:* mortem *Rurſus vero ad ſtyllum Auctoris pertinet:* manum extendit, *&c.* contingere lignum.

E 9. Qua die, quoue loco cecidit clariſſimus Adam, &c.] *Sic emendauimus, pro:* cariſſimus. *Atqui quod hic dicit, & mox clarius, repetit his verbis:*

Golotha locus eſt, capitis caluaria quondam, *&c.*
Os magnum hic veteres noſtri docuere repertum,
Hic hominem primum ſuſcepimus eſſe ſepultum, *&c.*

*habes etiam apud B. Cyprianum tract. de Reſurr. Chriſti, vbi vide ſimiles Veterum locos in Adnotationibus noſtris n. 3. auctori peculiare eſt, quod etiam* eodem die paſſum *ſcribit* Chriſtum, quo Adam cecidit.

10. Sponte ſuum corpus quod liquerat, ipſe recepit, &c.] *Iſtud de Chriſto intelligendum iuxta naturam humanam, ſecundum quam mortuus eſt & ſepultus.*

11. Scilicet in Chriſto eſſe decus, tuum Eccleſia cernens, &c.] *Corruptus eſt hic verſus, cui quod deeſſent ms. cod. mederi non potui. Vbi interim prima ſyllaba vocis* Eccleſia *corripitur, quod peculiare eſt Auctori tum ſupra huius l. 2. cap.* Decurrit Eccleſia verbo, *tum hic, tum paulopoſt:*

Hæc populi vera eſt viuentis Eccesia mater,

*& li. 3. infra, ca. 7.*

Eſſe caput Chriſtum, ſunt cuius Eccleſia membra. *Suſpicor autem etiam ibi mendum ſubeſſe:* fœmina ſanguis erat.

12. Golotha locus eſt, &c.] *Producitur hic media huius vocis ſyllaba, quæ Hymmo de Paſcha Domini, apud Cypr. corripitur.*

F Eſt locus, ex omni medius quem cernimus orbe,
Golgotha Iudæi patrio cognomine dicunt.

*ſicuti etiam à Iuuenco li. 4.* vbi ruris Golgotha nomen. *Caſtigauimus autem mox:* ſtillantis aquæ virtute leuati, *pro:* leuare.

13. Aut hominem totum exanimem per Sabbatha viuum, &c.] *Peculiare eſt hoc Auctori, quod inſinuet reſuſcitationem Lazari, Io. 11. factam in* Sabbatho, *nam de illo illum loqui manifeſtum fit ex eo quod ſequitur:* Hæc ineunte die ſancto, *&c.*

## CAP. V.

14. Quid? Caro ſi moritur, nec ſpes datur vlla ſalutis, &c.] *Titulum huic capiti fecimus:* De reſurrectione & ſalute carnis æque atque animæ. *De quo vide ſupra li. 1. c. 9. n. 30. Emendauimus vero:* Quid? *pro:* Quod, *&:* ſalutis, *pro:* ſaluti. *Eſt autem Tertullianicum:* medicare, *&:* Non poterit, *&c. pro:* Nonne.

15. Saxa fient & ſemper erunt, &c.] *Caſtigauimus:* fient, *pro:* fiunt. *Et vero corripitur hic prima eius dictionis littera contra Ethnicorum Poetarum morem, tum hic, tum infra in Geneſi:* Lux fiat. *Nec abſimiliter Prudentius Periſteph. & fauilla iam tenuis fiet, ac ſic Cyprianus alter, item li. 1. adu. Sym. quæcunque fiant auctore ſenatu, denique & Auctor l. 2.* Credite vera fient. *Vide etiam de hoc Bedam. Emendauimus vero:* mortua deficiunt, *pro:* deiiciunt.

G 16. Ergo caro & ſanguis Dei regno digna negatur, &c.] *Pulcre interpretatur illud Apoſtoli 1. Cor. 15.* Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt, *de quo latius ſupra l. de Reſurr. carn. cap. 46. 49. 50. & 51, Caſtigauimus autem mox.* Carnali ſermone putent, *vt deriuetur à putere. pro:* putant, *ac paulopoſt rurſum:* & debito mortis, *pro:* debita. *Item:* humanum *(nempe genus)* rurſus debere renaſci, *pro:* humano. *Atqui habes hic correptas in fine dictiones:* Dei. *& mox:* ſui, *etiam contra regulas veterum Patrum, de quo latius Beda.*

17. Denique dixit: Oportere ſuperindui carnem, &c.] *De hoc Apoſtoli 2. Cor. 5. loco etiam ſupradicto li. latius cap. 41. 42. & 43. ſicut etiam de illo:* in Atomo, in momentaneo motu oculi. *ibidem. Atqui:* rufam ceram *more ſuo rubeam intelligit: &:* glutitam *vſurpat, pro:* deglutitam.

# ARGVMENTVM LIBRI TERTII ADVERSVS Marcionem, etiam ipſius Auctoris.

TERTIVS, ingenua gentem de matre creatam,
H Vatibus & patribus ſacratos eſſe miniſtros.

*Vbi ſubintelligi debet:* tradit, *aut quid ſimile. Tractat enim libro tertio (quod adeo etiam titulo adiecimus)* DE CONCORDIA PATRVM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, *occaſione illius Apoſtoli Gal. 4. ex Iſai c. 54.* Scriptum eſt enim: Lætare ſterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quia multi filii deſertæ, magis quam eius quæ habet virum, *& illius:* Illa quæ ſurſum eſt Ieruſalem, libera eſt, quæ eſt mater noſtra. *Hoc enim eſt quod in dicto argumento dicitur:* ingenua gentem de matre creatam. *Plura autem habet Auctor initio libri quinti, ſed ita obſcura, vt præſtet ſuo loco dumtaxat tractare.*

A E

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, LIBER TERTIVS ADVERSVS MARCIONEM,

## de concordia patrum veteris & noui Teſtamenti.

IAM genuit quondam ſterilis cognomine, mater,
Iamque nouus gaudet populus de libera natus,
Expulſa famula, merito cum prole ſuperba;
Ca.I. Viuentis quoque fontis aquas ingrata relinquit,
*Gal.4.ac* Et tepidis errans ardenti ſidere potat.
*Gen.21.* Iam poſſunt gentes Abraham clamare parentem,
*Gen.12.* Quæ vocem Domini ſimili ratione ſecutæ,
*Gal.4.&* Omnia liquerunt peregre ſe ſiſtere vitæ.
*Iſai.45.* Lætare ô ſterilis, promiſſam concipe plebem;
Erumpe & clama, quæ nulla prole beata,
De qua dicebat per vates ſpiritus olim;
Hæc genuit gentem multis ex gentibus vnam,
Cuius principio ſemper pia membra laborant.
Ca.II. [2 Huius Abel iuſtus, paſtor, pecudumque magiſter,
*Gen.5.* Fraternæ occidit quem olim violentia dextræ.
B 3 Huius Enoch, inſigne decus, de corpore membrum;
A Deo digreſſos populos, facinuſque ſequentes,
Dum furit in terris refugarum, turba latronum;
Sacrilegum genus vt fugeret crudele gigantum,
Conſilio reuocabat; in omnibus ipſe fidelis.
Ingenti gemitu placuit, meritoque labore
Tranſlatum magno pignus ſeruatur honore.
*Gen.6.7.* 4 Perfectus laude & ſine culpa Noa repertus
*& 8.* Teſtificante Deo iuſtus in adultera plebe,
Bis quinquagenis arcam qui texuit annis,
Venturum excidium factis & voce ferebat;
Promeruit tantis ereptus mortis ac vndis,
Et cum prole ſua ſeruatur, Gente ſequente
Eſt Abraham, cuius gnatos vos eſſe negatis,
*Gen.12. &* Qui primus genere & patria & genitore relicto,
*17.* Voce Dei ſuatus ſeceſſit in extera regna,
Tanto Dei meruit ſublimis dignus honores,
Gentibus vt pater & populis credentibus eſſet.
*Gen.29. &* Cum patribus Iacob, quorum pater ipſe, per omne
*ſequent.* Vitæ ſuæ ſpatium lætiſſima tempora Chriſti
Præcecinit verbis, actu, virtute, labore.
*Gen.39.* Hunc ſequitur Ioſeph, fœdæ ſine ſorde iuuentæ,
Carceris & duræ conficta calumnia pœnæ.
Gloria poſt gemitus, regnique ſecunda corona,
Inque fame panis tribuendi larga poteſtas.
Tam propria Chriſti, tam lucida lucis imago
*Gen.49.* Omnibus eſt manifeſta, quibus ſunt lumina menti;
C Vt ſpeculo vultus firmam ſpem cernere poſſint.
Iudas ipſe pater, regalis ſortis origo,
Vnde duces geniti, cuius de ſemine reges
Numquam defuerunt, donec futura poteſtas,
Gentibus exſpectata diu, promiſſa veniret.
Ca.III. [5 Dux populi Moſes; qui limina regia liquit,
*Exod.2.&* Spernens diuitias florentes tempore paruo,
*Hebr.11.* Maluit adflictus populi portare labores
Subnixa ceruice, minis non territus vllis,
Quam ſibi delicias multaſque remittere pœnas;
Pro magnaque fide, pro tanto mirus amore,
Armatus virtute Dei, magnalia geſſit.
*Exo.7.8.9.* Percuſſit gentem plagis, terramque reliquit,
*10.11.&* Confundit regem, durum populumque reducit,
*12.* Calcauit fluctus, hoſtes dimerſit in vndis,
*Exod.14.* Fecit aquam dulcem per lignum, ſemper amaram.
*Ibid.15.* Cum Chriſti populo manifeſte multa locutus,
*Ibid.34.* 6 Cuius de facie lux, & nitor ore refulſit,
*Ibid.17.* Acceptam legem per paucos fudit in orbem,
*Ibid.* Exempla implicita propriorum certa laborum;
Percuſſit petram, iuſſus quoque flumina fudit,
Extenditque manus, vt ſigno vinceret hoſtem.
Omnia de Chriſto, per Chriſtum cuncta loquuntur.
Hic probus & magnus cum laudis pace quieuit.
D At Ieſus Naue filius, Auſes ante vocatus,
*Num.13.* (Spiritus hunc ſanctus ſocium ſibi nomine iunxit.)
*Ioſ.3.* Hinc fluuium ſcidit, & populum tranſire coegit,
*Ibid.13.&* Diſtribuit terram gratis, promiſſa paterna,
*ſequ.* Solem cum luna ſtatuit, dum vinceret hoſtem;
*Ioſ.10.* Expulit externas gentes, prolemque gigantum,
*Ibid.11.ac* Excidit lucos, aras & templa ſubegit;
*12.* Omnia legitima ſolemnia mente peregit,
*Ibid.23.&* Nominis exemplum Chriſti, virtutis imago.
*24.* [7 Quid de iudicibus populi per ſingula dicam?
Ca.IV. Quorum virtutes, ſi conſcribantur in vnum,
Verborum ſpatio numeroſa volumina complent.
Attamen ex multis paucorum dicere vitam,
Corporis explendi verborum poſtulat ordo.
*Ind.6.&* Ex quibus vt Gedeon dux agminis, acer in hoſtem,
*7.* Non virtute ſua tutelam acquirere genti,
Firmatuſque fide ſignum petit excita menti,
Quo vel non poſſet, vel poſſet vincere bellum,
Vellus vt in noctem poſitum de rore maderet,
Et tellus omnis circum ſiccata iaceret,
Hoc inimicorum palmam coaleſcere mundo;
Atque iterum ſolo remanenti vellere ſicco,
Hoc eadem tellus roraret nocte liquore,
Hoc etenim ſigno prædonum ſtrauit aceruos.
Congreſſus populo Chriſti, ſine milite multo,
Tercenteno equite, (8 numerus Tau littera Græca)
Armatis facibuſque & cornibus ore canentem.
Vellus erat populus ouium de ſemine ſancto.
Nam tellus variæ gentes, fuſæque per orbem,
Verbum quod nutrit, ſed nox eſt mortis imago,
Tau ſignum crucis, & cornu præconia vitæ,
Lucenteſque faces in lychno, ſpiritus ardens.
Scilicet hoc teſtamen erat virtutis imago, F
Non prius angelica mortis fera prælia vinci,
Quam populo indocili merito ſua culpa relicto, *Ind.4.&5.*
Florenteſque fide gentes in laude receptæ.
Debbora quin mulier ſuper omnem maxima famam,
Pro patria quæ belligero ſubnixa labori,
9 Stipite ſub palmæ populum viciſſe canebat;
Quapropter victi ſimul hoſtes terga dedere;
Siſara dux fugit, cui non vir, nec manus vlla
Reſtitit. Hic Baal Chriſti victoria ſigno
Exemplo refugæ, deuicit fœmina ligno.
Iephtha fide firma, qui duro vulnere votum
Auſus, mercedem belli Deo dicere grandem,
Hic quia, quæ non vult Dominus, promiſerat amens, *Ind.11.*
Occurrit primo carum ſibi pectore pignus.
Nulli ſperata cecidit quod ſorte repente,
Promiſſum vt ſtaret, ſoluit pia iura parentis,
10 Peccati votum, violenta mente coperuit
Immanis timor, orbatæ ſolatia vitæ
Pro ſcelere obtinuit famam, pro crimine laudem.
Nec non Samſonis ſuper omnia corpora vires,
Spiritus hoc donum capiti conceſſa poteſtas,
Pro populo ſolus nullo mucrone, nec armis, *Iud.15. &*
Os retinens aſini proſtrauit corpora mille. *16.*
Vincula nulla virum vinctum potuere tenere;
Gloria ſed poſtquam captiui mota receſſit,
Occidit, atque hoſtes victus ſua morte redemit. G
[11 Mirificus Samuel, cui Reges vngere primum Ca.V.
Præceptum, dare Chriſma, viros oſtendere Chriſtos; *1.Reg.10.*
Talibus in vitæ ſpatio laudabilis egit, *& 16.*
Vt quoque poſt requiem Prophetica iura teneret. *1.Reg.12.*
12 Pſalmographus Dauid, magnus rex, atque Propheta, *& 25.*
Paſſurum Chriſtum ſubmiſſa voce canebat, *Pſal.20.*
Sponte quod ingratus populus ſine lege peregit,
Cui Deus ex vtero fructum promiſerat olim,
Prolem, ſublimi ſolio ſuo ponere ſanctam. *Pſal.131.*
Fixa fides Domini quæ ſponderat, omnia fecit.
Æmulus Ezechias, populi corrector inertis,
Ablatis legem qui reſtaurauit, iniquis, *4.Reg.18.*
Hæc olim mandata Dei prior omnia iuſſit, *19.&20.*
Qui precibus bellum, non ferri cuſpide ſoluit.
Hic moriens, lachrymis annos ac tempora vitæ
Accipit, merito talem tulit actus honorem.
Ingenti zelo Ioſias, rector & ipſe,
Tantum nemo ſupra, nec poſtea taliter egit. *4.Reg.22.*
Idola deſtituit, deſtruxit templa nefanda, *& 23.*
Atque ſacerdotes ſuper aras igne cremauit,
Oſſa Prophetarum falſorum cuncta refodit,
Inceditque aras adolenda cadauera lignis.
Inſignis fidei in laudem (memorabile) tactus H
13 Nobilis Helias, qui nondum debita mortis
Guſtauit, quoniam rurſum venturus in orbem eſt. *Mal.4.*
Ergo infracta fides, populum regemque furentem, *3.Reg.17.*
Militiam Domini qui deſeruere beatam, *& 18.*
Verberibus, flammis caſtigans hoſtes amaris,
Sidera concluſit, tenuitque in nubibus imbrem.
Eſſe Deum oſtendit cunctis, apparuit error.
Nam madidæ partes hoſtiæ, fluuio, ſuper aras
De cœlo precibus, veniens vi, flamma comedit,
Et quotiens voluit, toties ruit ignis ab alto.
Diuiſit fluuium, tranſgreſſus & auia fecit, *4.Reg 2.*
Sublatus curru paradiſi vectus in aulam eſt.
Huius diſcipulus, fortis ſucceſſor Heliſeus,
Qui duplicem Heliæ petiit ſibi ſumere ſortem, *Ibidem.*
Ad caſtigandam violento verbere plebem,
Tantum pro Domino & talem ſpirauit amorem.

A Iordane percuſſo pedibus via facta regreſſus,
4. Reg. 6. Demerſam fluuio releuauit virga ſecurim,
4. Reg. 4. Mortificumque cibum in vitalem tranſtulit eſcam,
4. Reg. 8. 14 Detinuit pluuias iterato tempore duplo,
4. Reg. 5. Mundauitque lepres; hoſtes caligine cepit.
& 6. Cuius poſt obitum iam condita membra ſepulcro,
4. Reg. 13. Abiectus quidam, mactatus cæde latronum,
Mortuus, vt tetigit, reuocata luce reuixit,
Cap. VI. [ 15 Iſaias, locuples vates, cui fontis aperti
*Iſai. 2. &* Tam manifeſta fides, verbum Dei ore profudit,
*deinceps.* Largaque per Chriſtum patris eſt promiſſa voluntas,
Præteſtata viam vitæ, atque probata per ipſum eſt.
16. Quem populus ſectum ligno, ſine labe repertum,
*Hier. 1.* Immeritum, demens crudeli morte peremit.
Sanctus Hieremias, quem gentibus eſſe Prophetam
Æterni virtus iuſſit, dixitque futurum;
*Hier. 37.* Qui quoniam plebis facta illaudanda reuoluit,
*& 38.* Et fore captiuam, niſi pœnituiſſet iniquos,
In famulos fieri præſaga voce locutus;
17 Vincula dura tulit, ſquallenti carcere clauſus,
Inque luto putei fames hauſit tabida membra.
Sed poſtquam quæ noluerant audire, probauit,
*Hier. 39.* Atque hoſtes vinctum populum duxere triumphis,
Horrida vix tandem caruit ſua dextra cathenis,
Nulla morte virum conſtat, neque cæde peremptum.
B 18 Ezechiel fidus, diues cui gratia verbi
*Ezech. 2.* Conceſſa eſt, peccatorum ſecreta videre,
*& deinceps* Afflictus lugere ſuos, veniamque precari,
Cernere vindictam ſanctorum cæde futuram,
Sanctorumque locum regni, carniſque ſalutem
Spiritu implicitus, greſſus adituſque videre.
19 Oſea, Amos, & Micheas, Ioel, Abdia, Ionas,
Atque Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæuſque,
Zacharias vim paſſus, & angelus ipſe Malachim;
Hi vates Domini, quorum chorus vſque canentum,
Ac pariter laudis propriam meruere coronam.
Quam magnus Daniel, qualis vir, quanta poteſtas,
*Dan. 13 ſeu* 20 Qui falſos teſtes ipſorum prodidit ore,
*1. ſecũdum* Seruauitque animam damnatam crimine ficto;
LXX. Somnia ſecreta, & regis prior ore reſoluit,
*Dan. 2.* Præuidit Chriſtum regnorum ſoluere membra;
*Dan. 6.* Pro Domino reus eſt, factus quoque præda leonum,
*Dan. 3.* Seruatiſque palam cunctis in pace quieuit.
21 Huius tres ſocii, vix digna laude canendi,
Ex numero tanto decretum regis iniquum
Contempſere pii, quorum data corpora flammis,
C Tradere ſe pœnis potius, pro nomine magno,
Quam genibus nixi ſimulacro pandere palmas.
*1 Eſdr. 7.* Iam præclara fides, iam ſpes ſuper omnia fulgens
*& 8.* Extinxit rabidos ignes, & vicit iniquos.
Eſdras vates, legis Doctor, & ipſe ſacerdos,
Qui populum captum poſt tempora plena reduxit,
22. Ignibus & multa conſumpta volumina vatum
Spiritu completus, memori omnia redidit ore.
Cap VII. [ 23 Grandis Ioannes ſuper omnes ſemine natos,
*Matth. 11.* Cuius difficile poterimus dicere laudes,
Ablutor carnis, Domini præcurſor apertus,
*Matth. 3.* Ablutor Chriſti, prior ipſe renatus ab illo,
Fœderis ille noui primus, veteriſque ſupremus,
*Matth. 11.* Proque via vera, prior hoſtia cæſus obiuit.
*Matth. 14.* Ecce Deus Chriſtus; pariter biſſena iuuentus,
*Matth. 3.* Omnibus vna fides, amor vnus, & vna poteſtas,
*Matth. 10.* Flos hominum, mundo lucentes lumine Chriſti,
Et comites & Apoſtolici, qui vera locuti,
Auribus audiuere, oculis videre ſalutem,
*Luc. 24.* Tractauere manu corpus de morte receptum,
*1. Ioan. 1.* Conuixere cibo aſſidue; teſtantur vt ipſi.
*Act. 9.* 24 Hunc Paulus, prælectus Apoſtolus in vice miſſus,
*2. Cor. 12.* In cœlos raptus vidit quoque; miſſus ab illo,
*Act. 11. &* Barnaba cum comite, ſociiſque prioribus, vno
*Gal. 2.* Fœdere coniunctis, per gentes, tradit vbique,
*Epheſ. 4.* Eſſe caput Chriſtum, ſunt cuius Eccleſia membra
D Corporis ipſe ſalus, membrorum vita perennis;
*Rom. 1.* Ipſe caro factus, pro cunctis ipſe peremptus,
*1. Cor. 15.* Ipſe reſurrexit primus, ſpes vna ſalutis,
Diſcipuliſque ſuis formam dedit, hi ſimul omnes
Indignas varie pœnas pro nomine paſſi.
Cap. VIII. [ 25 Talia membra gerit ſpecioſo corpore mater
*Gal. 4.* Libera, quod numquam Domini præcepta reliquit,
Inque domo ſenuit Domino lectiſſima ſemper,
Inuidiam, pœnas, eius pro nomine paſſa.
Nam ſterilis quoniam, nondum ſecura futuri,
Ediderit populum cœleſti ſemine natum,
Atque ſuæ famulæ portauit ſpreta dolorem;
Hanc ſterilem quondam, nunc tempus cernere matrem
Hæredem natum ſuæ libertatis habere,
Non ſimilem famulæ, quamquam de ſemine cœli
Conceptum genuit, ſibi conditione iugatum.
Abſit vt illicitis verbis, temeraria voce
Egregios homines, ardentia ſidera cœli,
Semine coniunctos tantum, vel ſanguine plebi,
In ſolidum paſſim famulum dicatis atrocem, E
Aut populum Domini legis mandata ſecutum,
Seruili ſpecie quiſquam putet eſſe loquendum.
Sed peccatorum vacuam ſine mente cateruam,
Qui promiſſa Dei, dubia ſpe, corde locarunt,
Præſentis vitæ miſera dulcedine victos,
Debita ſeruitio capitis ſua culpa ſubiſſet,
Si legem plebi peccati cauſſa iugabit,
Nam ſeruire Deo, totoque incumbere corde
Intemerata fides, libertas ſponte paratur.
Ergo patres iuſti, ſancti, ſine labe Prophetæ,
Aduentum Dominis multi cecinere futurum;
Teſtanturque fide cœleſtia iuſſa prophanis,
Cum quibus immanes ſatiati gloria Chriſti,
Conſortes virtutis, verba ſacrata replentes
Firmauere fidem, factis prædicta probando.
[ 26 Quorum diſcipuli, qui ſucceſſere per orbem,
Conflati virtute viri, noſtrique magiſtri, Cap. IX.
Coniunctos operis nobis tribuere honores.
Ex quibus electum magnum, plebique probatum
Hac cathedra, Petrus qua ſederat ipſe, locatum
Maxima Roma Linum, primum conſidere iuſſit.
Poſt quem Cletus & ipſe, gregem ſuſcepit ouilis.
Huius Anacletus ſucceſſor ſorte locatus.
Quem ſequitur Clemens, Is Apoſtolicis bene notus. F
27 Euariſtus ab hoc rexit ſine crimine legem.
Sextus Alexander Sixto commendat ouile.
Poſt expleta ſui qui luſtri tempora tradit
Teleſphoro, excellens hic erat, martyrque fidelis;
Poſt illum ſocius legis, certuſque magiſter;
28 Quum veſtri ſceleris ſocius præcurſor & auctor
Aduenit Romam Cerdo, noua vulnera geſtans,
Detectus, quoniam voces & verba veneni
Spargebat furtim; quapropter ab agmine pulſus,
Sacrilegum genus hoc genuit, ſpirante dracone.
Conſtabat pietate vigens Eccleſia Romæ
Compoſita à Petro, cuius ſucceſſor & ipſe,
Iamque loco nouo cathedram ſuſcepit Higinus.
29 Poſt hunc deinde Pius, Hermas cum germine frater,
Angelicus paſtor, quia tradita verba locutus,
Aque Pio ſuſcepit Anicetus ordine ſortem,
Sub quo Marcion hic veniens, noua Pontica peſtis,
Nondum ſecretum facinus ſuo corde recluſum,
Paſſim vulgo loquens latebroſa perfidus arte.
Sed poſtquam cœpit mortis proferre ſagittas,
Abiectus merito tam ſæui criminis auctor,
A ſanctis reprobus; patuit mirabile monſtrum. G

## ADNOTATIONES IN LIBRVM TERTIVM ADVERſus Marcionem Iacobi Pamelii.

### CAP. I.

1. Iam genuit, quondam ſterilis cognomine, mater, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De matre eadem Abrahami, veterumque Patrum & noſtra Eccleſia. *Sicuti autem initio ipſa verba Apoſtoli Gal. 4. in carmen redegit, ita quum ſubdit:* Viuentis quoque fontis aquas, *&c. adludit ad illud Gen. 21. vbi Agar legitur vtreaqua in ſcapulis impoſito erraſſe in ſolitudine. Videtur interim alia aliqua vox ſubſtituenda pro :* tepidis, *ſed non licuit ob inopiam cod. ms. corrigere.*

### CAP. II. H

2. Huius Abel iuſtus, paſtor pecudumque magiſter, &c.] *Titulum huic capiti impoſuimus:* De patribus Abel, Enoch, Noe, Abraham, Iacob, Ioſeph, & Iuda. *Senſus autem eſt:* Huius *nempe gentis eſt.*

3. Huius Enoch, &c.] *Peculiare hoc eſt Auctori quod ſcribat:* Enoch à Deo digreſſos populos conſilio reuocaſſe, *qui etiam per præoccupationem* Gigantes *nuncupat impios ciuitatis diaboli miniſtros, de quibus Gen. 6. ſub Noe primum fit mentio in ſcripturis.*

4. Perfectus laude & ſine culpa Noa, &c.] *Quod de* Noa *tradit, magis cum ſcriptura conuenit, vbi quum legatnr :* Erunt dies illorum centum viginti annorum, *tacite interpretatur ( omiſſis dumtaxat 20. annis, forte quod in carmen non tam commode poſſet referri ) de ſpatio pœnitentiæ impiis relicto, dum dicit :*

Bis quinquagenis arcam qui texuit annis.

*Mox vero vbi de* Abraham *agit Auctor, pro eo quod legebatur:* Tantos, *neceſſario caſtigauimus:*

Tanto Dei meruit ſublimis dignus honores;

*vt accipiatur* Tanto, *more Tertullianico, pro* Tantum. *Item vbi de* Ioſeph *agitur:* Tam propria Chriſti, *pro:* Tum.

### CAP. III.

5. Dux populi Moſes, &c. ] *Inſcriptionem huic capiti fecimus:*

A De Moſe & Ieſu Naue. Quum autem hic adludat ad illud Apoſtoli Hebr. 11. fide Moſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis: magis eligens adfligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: hinc patet Auctorem habuiſſe eam Epiſtolam pro authentica, de qua interim latius infra Tom 5. lib. de Pudicitia, cap. 20.

6. Cuius de facie lux, & nitor ore refulſit, &c.] Intelligit quod legitur Exod. 34. iuxta LXX. Glorificatus aſpectus cutis faciei Moſi, quum loqueretur ei Dominus, pro eo quod ex Hebræo vertitur: cornuta facies, de quo ſupra vide Adnotationes noſtras libr. 4. adu. Marc. c. 22. n. 344. Sicuti de Ieſu Naue, Auſe ante vocato, lib. 3. c. 16. nu. 115. & lib. 4. c. 13. nu. 163.

## CAP. IV.

7. Quid de iudicibus populi per ſingula dicam? &c.] Hoc caput inſcripſimus: De Iudicibus, Gedeone, Debbora, Iephte, & Samſone.

8. (numerus Tau littera Græca, &c.] Hoc ſibi vult. Tau litteram Græcam, exprimere numerum trecentenum, quod, præterquam quod notius ſit quam vt probatione indigeat, etiam ſupra oſtenſum eſt ex Tertulliano, Irenæo, & alijs lib. de Præſcript. adu. hær. cap. 50. hær. 15. num. 319. de hæreſi Marci ex Græcorum Alphabeto. Hic vero propterea huc illud adfert, vt probet Gedeonem in figura.
B Tau ſigni crucis Trecenteno equite, (vbi accipit equitem carminis gratia, pro omni milite, Nam Ioſ. 7. ſolum legitur de 30. viris) ſtrauiſſe prædonum aceruos. De quo ſigno Tau plura vide ſupra libr. 3. aduerſ. Marc. cap. 22. num. 174. & Tom. 1. lib. adu. Iud. cap. 11. num. 142. Atqui paulopoſt: teſtamen vſurpat Auctor, pro teſtamento.

9. Stipite ſub palmæ populum viciſſe canebat, &c.] Adludit ad Canticum Debboræ, quo celebrat Siſaram in temporibus clauo, ſiue, vti habent LXX. palo tabernaculi, quos ex palma olim confici ſolere indicat Auctor: qui etiam iſtud tradit ſignum fuiſſe Chriſti victoriæ in ligno, verbis licet obſcurioribus, & quantum apparet, mendoſis.

10. Peccati votum violenta mente cooperuit, &c.] Eodem pertinet quod ſequitur.

Pro ſcelere obtinuit famam, pro crimine laudem.

de Iephte, qui ex voto quod amens Deo promiſerat, filiam ſuam immolauit in holocauſtum. Quomodo autem crimen illi imputetur, quum tamen ab Apoſtolo Heb. 11. in iuſtorum recenſeatur catalogo, tractat late Auctor Quæſt. & Reſponſ. inter opera B. Iuſtini Martyris: dicens permiſiſſe Deum illud criminis, vt poſteri documentum acciperent, ne vmquam vota ſua Deo indefinite nuncuparent, & iniuſtorum nomenclaturarum nomen eius eſſe inſertum, quod pietatis ſuæ erga Deum obſeruationem filiæ ſuæ mactatione declarauerit. Quale quid etiam habet B. Auguſt. Quæſt. in lib. Iud. cap. 49. & ex parte
C lib. 1 de Ciuitate Dei, cap. 21. Pertinet vero etiam ad licentiam Poeticam illud: coperuit, in fine carminis heroici. Atqui paulopoſt de Samſone caſtigauimus: hoſtes victus ſua morte redemit, pro: hoſtis victos: ipſe enim iam victus, in vinculis vtpote conſtitutus, hoſtes ſuos concuſſione columnarum vna ſecum peremit.

## CAP. V.

11. Mirificus Samuel, &c.] Titulum huic capiti fecimus: De Samuele, Dauide, Ezechia, Ioſia, Helia, & Heliſæo. Intelligit vero vnctionem Regum Saulis & Dauidis, 1. Reg 10. & 16. deinde adludit ad 1. Reg. 12. de innocentia Samuelis, & cap. 25. de morte eiuſdem.

12. Pſalmographus Dauid, magnus Rex atque Propheta, &c.] Paucis comprehendit omnes Dauidis qualitates, de quo ſequentem verſum caſtigauimus:

Paſſurum Chriſtum ſubmiſſa voce canebat,

pro: cuius ſe voce canebat: ſicuti & de Ezechia illud.

Ablatis Legem qui reſtaurauit, iniquis,

pro: Oblitis: per iniqua enim intelligit quæ excelſa vocantur in ſcripturis. Paulopoſt obſcurum eſt illud de Ioſia.

D Incenditque aras adolenda cadauera lignis,

niſi ſubintelligatur: ad adolenda.

Nobilis Helias, qui nondum debita mortis

13. Guſtauit, &c.] Supra c. 2. ſimiliter de Enoch dicitur.

Translatum magno pignus ſeruatur honore.

De vtroque vero vide ſupra lib. de Anima cap. 50. num. 564. Caſtigauimus autem: Flammis caſtigans hoſtes amaris, licentia Poetica, pro: hoſtis.

14. Detinuit pluuias iterato, tempore duplo, &c.] Iſtud quod Heliſæo inter cetera tribuit Auctor, non reperitur in Biblijs, niſi obſcure ex conſequenti. quum enim defectu roris & pluuiarum iuſſu Heliæ facta fuerit fames annis tribus & menſibus ſex, & legatur 4. Reg. 8. prædicta fames ſeptem annorum ab Heliſæo, (quod tempus duplum nuncupat Auctor) fuit in ea ſententia Auctor, quod hæc fames orta ſit ex eo, quod etiam Heliſæus pluuias iterato detinuerit.

## CAP. XI.

15. Iſaias, locuples vates, &c.] Inſcriptionem huic capiti fecimus: De Iſaia, Hieremia, Ezechiele, XII. Prophetis, Daniele cum tribus ſociis, & Eſdra. E

16. Quem populus ſectum ligno, &c.] De hoc vide ſupra To. 2. l. de Patient. ca. 14. & rurſum Tom. 3. in Adnotat. noſtris in Scorp. aduerſus Gnoſticos cap. 8. nu. 54.

17. Vincula dura tulit, ſqualenti carcere clauſus, &c.] Sic iſtud caſtigauimus pro mendo typographico, quantum apparet: currere, & rurſum: quæ noluerant audire, pro: voluerant. Adludit enim ad Hier. c. 37. 38. & 39. vbi legitur tum primum caruiſſe cathenis, poſtquam euentu probauit captiuitatem ciuitatis Ieruſalem, quam audire noluerant Iudæi: vtpote tum liberatus à Nabuchodonoſor, de quo adeo verum eſt illud:

Nulla morte virum conſtat, neque morte peremptum: non vero de Iudæis, à quibus poſtea lapidatum fuiſſe Hieremiam ſupradicto loco ipſe Auctor tradidit.

18. Ezechiel fidus, &c.] Etiam hic caſtigauimus: fidus, pro: ſidus.

19. Oſea, Amos & Micheas, Ioel, Abdia, Ionas, &c.] Similiter & hic neceſſario ſubſtituimus: Ioel, pro: ſimul, vtpote quum inter XII. Prophetas minores, quos commemorat, ille vnus ſit.

20. Qui falſos teſtes ipſorum prodidit ore, &c.] Etiam hinc confirmatur hiſtoria Suſannæ, Danielis 13. quam cum Græcis inter prima Danielis facta recenſet Auctor, de cuius auctoritate latius ſupra Tom. 2. li. de Corona milit. c. 4. n. 43. Eſt autem obſcurus, & fortaſsis mendoſus ille verſus:

Seruatiſque palam cunctis in pace quieuit. F

21. Huius tres ſocii, &c.] Intelligit Ananiam, Azariam & Miſaelem, de quibus vbi dicit: Tradere ſe pœnis, &c. ſubintelligendum: malentes, aut quid ſimile.

22. Ignibus & multa conſumpta volumina vatum, &c.] De omni inſtrumento Iudaicæ litteraturæ per Eſdram inſtaurato, vide ſupra Tom. 2. lib. de Habit. muliebri, cap. 3. num. 33. Quibus adde quod id ſatis indicetur his verbis, 1. Eſdr. 7. Eſdras parauit cor ſuum vt quæreret legem Domini, &: Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ Libri ſermonum mandatorumque Domini.

## CAP. VII.

23. Grandis Ioannes ſuper omnes ſemine natos, &c.] Caput hoc inſcripſimus: De Patribus noui Teſtamenti, Ioanne Baptiſta, Chriſto, Apoſtolis XII. Paulo, & Barnaba.

24. Hunc Paulus prælectus Apoſtolus, &c.] Sic caſtigauimus hunc verſum, pro eo quod erat: Hinc. Loquitur enim de Chriſto, quem Paulus in cœlos raptus vidit, item: miſſus ab illo. Rurſum autem ibi: pro nomine, accipitur Chriſti nomen.

## CAP. VIII.

25. Talia membra gerit ſpecioſo corpore mater, &c.] Titulum huic capiti dedimus: De Eccleſia matre noſtra, eademque vtriuſque Teſtamenti. G

## CAP. IX.

26. Quorum diſcipuli qui ſucceſſere per orbem, &c.] Inſcriptionem iſti capiti fecimus: De Apoſtolorum diſcipulis Romaniſque Pontificibus vſque ad Anacletum, collocatis in Petri cathedra. De qua vide ſupra lib. de Præſcript adu hær. cap. 30. nu. 166. & cap. 36. nu. 207. 213. & 214. Sicuti de Lino, Cleto, Clemente, & Anacleto primis 4. a Petro Papis, eiuſdem lib. cap 32. num. 186. Item de ſucceſſionis Romanorum Pontificum auctoritate adu. hæreſeis, ibidem nu. 183.

27. Euariſtus ab hoc, &c.] Euariſtum, Alexandrum, Sixtum, ac Teleſphorum, Pontifices Romanos præcedentium ſucceſſores, etiam nominatim recenſent B. Irenæus li. 5. c. 3. B. Optat. Mileuit. lib. 2. adu. Parmenian. & B. Auguſt. epiſt. 165. denique Euſebius in Chronico.

28. Quum veſtri ſceleris ſocius, præcurſor, & auctor
Aduenit Romam Cerdo, &c.] Sic emendauimus, pro eo quod erat nullo ſenſu: Cum veſtri ſceleris ſocio, neque enim ſocium habuit Marcionem Cerdon, ſed eius magiſter fuit, ſicuti latius ſupra videre eſt dict. lib. cap. 51. hær. 16. num. 321. Concordari autem debet cum iis quæ ibi dicta ſunt, quod Cerdon Romam venerit ſub Teleſphoro (vbi in ſecunda ſyllaba e more ſuo corripit Auctor) ſed detectus (ſic enim etiam caſtigamus, pro: deiectus) ſub Hygino. D

29. Poſt hunc deinde Pius, &c.] De Pio & Aniceto præcedentium ſucceſſoribus, vide eoſdem Patres, de Herma vero, cuius ſcriptura Paſtor inſcribitur, ſupra T. 2. l. de Orat. c. 12. num. 48. quemadmodum etiam de Marcione, quod Romam venerit ſub Aniceto, Tom. 3 l. de Præſcript. adu. hæreſ. cap 30. num. 165. Quem abiectum à ſanctis reprobum dicens, confirmat excommunicationem etiam tum vſitatam in Eccleſia, quo pertinet etiam, quod Cerdonem præmiſit ab agmine pulſum.

A

# ARGVMENTVM
## LIBRI QVARTI ADVERSVS Marcionem, etiam ex Ipſo Auctore.

QVartus & ipſe refert obſcura piacula Legis
Eſſe typum veteris, quæ paruit hoſtia vere,
Iamdudum exſpectata piis cum ſemine ſancto.

*Quibus verbis, alias ſatis obſcuris, indicat piacula, id eſt, ſacrificia veteris Legis, fuiſſe typum veræ hoſtiæ Chriſti. Qua explicatione quum Antitheſes Marcionis diſſoluat, quas hoc libro æmulamenta nuncupat, Libri huius titulo adiecimus:* DE MARCIONIS ANTITHESIBVS. E

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, ADVERSVS MARCIONEM
## Liber Quartus, De Marcionis Antitheſibus.

Cap. I.

HÆc 1 populo iuueni, qui diues, liber, & hæres
Poſſidet æternam ſpem laudis iure dicatam,
Non vt doctores (ſolus daret omnia Chriſtus)
B Sed famulos Chriſti, iubet inuiolata poteſtas
Inpenti zelo flagrantes, pacis amore
Armatos, molem belli deducere terræ
Excelſas turres, & mœnia ſæua malorum,
Surgenteſque minas, populi contra agmina ſancti
Detrahere, vacuas voces diſſoluere vento.
Quapropter merito nos æmulamenta locuti
Ipſius ex verbis, etiam monumenta ſalutis
Nitimur exprimere, quæ gratia larga profudit,
Prædoniſque plagam ſanctis aperire copertam,
Ex improuiſo ne quis rudis, inſcius, audax
Cap. II. Incidat, & captus cœleſtia dona relinquat.
[2 Ergo Deus cunctis mortalibus vnus vbique eſt,
Æternum regnum, profundæ lucis origo,
Fons vitæ, potus ſapientia conditus omni.
Protulit ipſe orbem, cuius ſinus omnia cingit.
Nulla illum regio, nullus locus ambitu claudit:
Materies nulla eſt facta, vt ſit ſponte perennis,
Quæ fuerit ſemper, nullo facto recreata,
Cœlorum, terræ, maris, infernique locator.
Spiritus, aeris eſt diuiſor, conditor, auctor,
Solus perpetuus Deus eſt, immenſa poteſtas.
Hunc lex eſſe Deum populo monſtrauerat vnum,
Cuius vox Moyſi pollens in monte locuta eſt.
Illius hæc virtus, ſapientia, gloria, verbum,
Filius, immenſo genitum de lumine lumen,
Per vatum voces hunc vnum clamitat eſſe.
Ordine ſuſcipiens Paulus, ſic tradit & ipſe
Vnum hunc eſſe patrem; per quem ſunt omnia facta,
C Atque vnum Chriſtum, per quem Deus omnia fecit,
*Philipp.* 2 Ad quem ſe curuare genu plane omne fatetur,
*Epheſ.* 2. 3 Ex quo omnis patria in cœlo terraque vocatur,
Qui zelat populum ſummo pietatis amore
Vt pater, & ſancte vult omnem viuere carnem,
Apparere ſibi mundam ſine crimine plebem.
Hoc zelo noſtram cuſtodit lege ſalutem.
Legitimos monet eſſe, iubet, caſtigat, & inſtat
Corripiens Galatas fratres, & Apoſtolus idem,
Cap. III. ,, Talem ſe Paulus zelum ſe ſcripſit habere.
*Gen.* 7. ,, [4 Reddidit ergo Deus gratis peccata paterna,
,, In cataclyſmo enecans pariter cum prole parentes;
,, Genteque iam quarta genitos de ſtirpe nepotes,
,, Quum fere nongentos hos tunc adiuuerit annos.
*Gen.* 18. ,, Iudicium durum, ſententia ſæua videtur,
,, Paruulus & Sodomis adhuc inſons, mollis, inermis,
Vt careat vita, quid enim peccauerat infans?
Quod crudele putes, hoc eſt pietatis honeſtum.
Auctores ſceleris (facinus ne creſceret vltra)
Exſtinxit, ſobolemque patrum peccata ſequentum.
D Sed non cum patribus pœnas innoxius infans
Perpetuas luit, ignarus, neque criminis auctus,
Ne fieret ſceleris, conſors ætatis adultæ,
Sponte futura mala, mors immatura reſoluit.
[5 Cur Deus ergo iubet pecorum ſibi ſanguine fundi?
Ca. IV. ,, Legeque conſtringit, ne quis tranſcenderet errans
*Leuit.* 1. ,, In populo, lapidum præſenti morte minatus.
*& ſeq.* ,, Atque iterum hæc reprobat, negat hæc ſibi munera grata,
*Iſai.* 1. ,, Corripiens plebem peccati examine preſſam.
,, Ipſe iubet verax, iuſtus ſimul ipſe repellit?
,, Si quæris cauſſas, errans deſiſte moueri,
Cauſſa etenim fidei, rationis imagine maior.
Aſpice per ſpeculum fulgentis luminis vmbram,
Quid vituli ſanguis, vitulæ cinis, hircus vterque,
Hic demiſſus abit, cadit alter at hoſtia templo.
*Leuit.* 16. Sanguine nam vituli populum, ſimul omnia vaſa,
*& Hebr.* 9. Atque ſacerdotes, & ſcripta volumina legis,
Sparſit aquæ mixto, vates ſic iuſſus ab alto,
Non propriam ſpem, nec ſpeciem virtute vacantem,
Exemplo vituli paſſurum in corpore Chriſtum,
Qui iuga dura ferens humeris, temonis aratro
Fortiter abrupit ſua pectora vomere ferri,
Infundens ſulcis animæ ſui ſanguinis vndam.
Nam templi vaſa hæc deſignant corpora noſtra. *Exod.* 26.
Ipſe Dei templum verum, non ante dicatum, F
Namque ſuo ſocios homines ſibi ſanguine fecit *Matt.* 26.
6 Atque ſacerdotes voluit ſui corporis eſſe.
Ipſe patris ſummi perfectus iure ſacerdos.
Auditum, viſum, greſſum mandauit inertem,
Aſperſitque libro teſtes præſaga locutus,
Demonſtrans legem ſuo vinctam ſanguine ſancto.
Hanc & per vitulam manifeſtat victima cauſſam, *Leuit.* 16.
Sanguine de cuius pro plebe piacula ſumens
Intra velamen primos Leuita ferebat,
Caſtrorum extra fores corpus iuſſuque cremauit,
Cuius de cinere mundabat corpora lapſa:
Hoc Dominus noſter, qui nos ſua morte redemit *Hebr.* 9 & 17.
Extra caſtra, volens, populi vim paſſus iniqui,
Impleuit legem factis prædicta probando,
Qui vere mundat plebem contamine plenam.
Omnia concedens, quaſi diues corporis auctor,
Intra velamen cœli cum ſanguine greſſus,
Effudit quem pro multorum mortibus vnus.
Ergo ſacerdotem magnum decet hoſtia ſancta;
Quam digne perfectus habens, offerre probetur,
Corpus habet, hæc eſt mortalibus hoſtia viua,
Hanc dignam magnis, pro cunctis obtulit vnam: *Leuit.* 16.
Hircorum ſpecies homines dicat eſſe, repulſos
Ex duobus populis ſteriles, ſine fructibus ambos,
Quo in Euangelio Dominus quoque dixit, & hædos *Matth.* 24.
Abs ouibus cerni ſtantes in parte ſiniſtra, G
Eſſe quidem quoſdam Domini pro nomine paſſos.
Sic actum ſterilem, fructum velaſſe ſupremo
Hos merito dignos aræ, decet eſſe Prophetas, *Luc.* 16.
Abiectos alios, Lazaro vt diues iniquus,
In ſua duricie qui permanſere repulſi. Cap. V.
[7 Nam velum in medio pendens cernebat vtroſque, *Exod.* 26.
Inque duas partes ædem diuiſerat vnam. *Heb.* 9.
Interiora quidem ſanctorum ſancta vocata.
Iſthic ara ſita effulgebat nobilis auro.
Teſtamenta ſimul, tabularum legis & arca,
Pellibus agnorum cœli contecta colore,
Interius veſtita auro, media omnia ligno. *Num.* 17.
Hic tabulæ legis, hic manna eſt vrna repleta,
8 Hic Aaron eſt virga, crucis quæ germina profert,
Ipſi diſſimilis, Styracis tamen arbore nata, *Exod.* 10.
9 Atque ſuper Cherubim per formam quattuor vnam *ac Ezech.* 1
Pandebant pennas, & ſagmina iuſſu tegebant. *& 10.*
10. Exterius velum, pars ædis aperta patebat. *Exod.* 26.
In faciem, lato grauis æris ſtabat aheno,
Et candelabrum bis ternis vndique ramis H
Connexis medio calamo, totidemque lucernæ.
Aurea materies complebat lumine templum.
[11 Ergo prior templi facies communis, aperta, Cap. VI.
Declarat ritum populi ſub lege morantis, *Ibidem.*
In cuius tenebris ſeptemplex ſpiritus, vnus,
Lucebat ſanctus ſemper plebemque tegebat,
Hoc candelabrum verum, viuæque lucernæ.
Per legem & vates perlucens corde ſubactis,
Inque typum terræ facta ara creditur eſſe, *Hebr.* 9.
Hic operæ populi, quas non ſine ſanguine ſemper
Obtulit, effuſo, vitam ſine lege, cruore
In patulo paſſim comparuit omnibus olim,
Iſthic & Dominus pro cunctis hoſtia factus
Totam deſignat terram, ſpecialiter aram. *Apoc.* 6.
12 Fœderis hinc etiam noui inenarrabilis auctor,
Diſcipulus, Ioannes animas pro numine paſſas
Teſtatur tali ſeſe vidiſſe ſub ara.

Claman

A Clamantes Dei vindictam pro cæde potentis.
Iſthic interdum requies, ſub corpore terræ
Luc. 15. In parte ignota quidam locus exſtat apertus,
Luce ſua fretus: 13 Abrahæ ſinus iſte vocatur,
Apoc. 6. Altior à tenebris, longe ſemotus ab igne,
Sub terra tamen. Hæc ara vocatur ahena,
In qua velamen pullum memorauimus eſſe.
Diuidit hæc partes ambas, vnamque recludit
Diſſitam ab æterna, cultura & temporis vſu.
Non inimica ſibi quamuis diſtantis amoris,
Tempore diuiſa & ſpatio, & ratione ligata
Vna domus, quamuis velo partita videtur,
Atque adeo paſſo Domino velamine rupto,
Cœleſtes patuere plagæ, cælataque ſancta,
Atque duplex quondam, facta eſt domus vna perennis.
Cap. VII. [14 Interius templum, populum de nomine Chriſti
Exod. 26. Cœleſti cultu, ipſa Dei mandata ſequentem.
(Perſonæ hic propriæ vere non vmbra ligatur)
Perfectis rebus completum tradidit ordo.
Ibid: Arca ſub exemplo, corpus venerabile Chriſti
Oſtendit, ſacro per lignum ſpiritu iunctum.
Aeriæ pelles, caro, non ex ſemine nata,
Extenſa in ligno: ſimul intus ſpiritus ardens
Hebr. 9. Aurigera ſpecie conflatus, iungitur illi,
Vt caro pace data, cum ſpiritu mixta vigeret.
Carnis, & vrna, typum Domini fert, aurea plena:
Fœderis ipſa noui Dominum declarat aperte,
Manna, quod eſt panis cœleſtis, verus, in illum
Traditus à patre, quem tribuit pro pignore ſanctis,
Perfecte dabit hunc illis, qui vincula pacis
B Semper amatores operum tenuere bonorum.
Ibid. Et tabulæ duplices conſcriptæ legis, in arca,
Ibid. Significant ſimul hæc in Chriſto condita ſemper,
Qui vetus atque nouum mandatum pertulit ipſe,
Arca patris ſummi, per quem dedit omnia diues.
Et virga Styracis fructus nucis adtulit ipſa.
(Virginis hæc ſpecies, genuit quæ ſanguine corpus)
Coniuncta in ligno, ſedabit mortis amarum
Iſai. 11. Interius fructum dulcem, de ſpiritu ſancto.
Sicut Iſaias virgam de ſemine Ieſſæ
Prædixit Mariam, de qua flos exit in orbem.
Exod. 26. Ara nitens auro cœlum declarat in alto,
Quo ſanctæ ſubiere preces, ſine crimine miſſæ.
Matt. 5. Hanc aram Dominus dixit, qua munera ſiquis
Offert, vt primum pacem cum fratre retractet,
Sic demum flagrare preces ad ſidera poſſunt.
Hebr. 9. Hoc Chriſtus victor ſolus, primuſque ſacerdos,
Obtulit incenſum, precibus non arbore natum.
Exo. 25. & Ezec. 1. ac 10. Nam Cherubim quum ſit bis binis vultibus vnum,
Eſt vnum verbum, per quatuor ordine ductum,
De patre quæ Chriſtus pleniſſima pertulit ipſe
Mandata ſperata noui, ſolatia vitæ.
15 Aſt quater alæ ſex, veteris præconia verbi,
Teſtificantis ea quæ poſtea facta docemur,
His alis volitant cœleſtia verba per orbem,
His etiam Chriſti ſanguis contectus habetur,
Obſcure vatum præſago dictus ab ore.
Alarum numerus antiqua volumina ſignat,
C Eſſe ſatis certa viginti quatuor iſta,
Quæ Domini cecinere vias & tempora pacis.
Hæc cohærere nouo cum fœdere cuncta videmus.
16 Sic quoque Ioannes, ſic pandit Spiritus illi
Apoc. 4. Tot numero ſolio ſenioribus inſuper albis,
Atque coronatis cohibentibus omnia mitra:
Ad ſolium Domini, vitreum & mare, ſtare ſub igne,
Quattuor aligera atque oculis animalia plena
Intus & exterius, quæ ſunt arcana patere:
Significat verbo ſimul omnia clauſa videri,
Nam vitreum flammæ mixtum mare, dona lauacri
Spiritu conflato credentibus eſſe tributa.
Quæ pietas Domini? quis tantum dicere poſſit,
Ante tribunale, ante pauimentumque parauit,
Vt fora iudiciumque ſibi anticipare volentes.
Et fugerent, eſſet properanti copia lata.
Cap. VIII. [17 Sic igitur lex, & miri cecinere Prophetæ,
D Omnia ſic coniuncta vigent, veteriſque nouique
Fœderis, illa ſacra & verborum immania dicta.
Sic & Apoſtolicæ voces teſtantur vbique,
Nec quidquam veteris non eſt nouo denique iunctum,
Sic errant, & dictorum ſic facta retorquent,
Qui falſas finxere vias: Dominumque Deumque
Æternum regem, qui tantum protulit orbem,
Detrectant, aliud quærunt ſub nomine ficto:
Mentibus orbati, quas amiſere furentes,
Externum legi Chriſtum affirmare volentes,
Nec mundi Dominum, carnis neque velle ſalutem
Nec virtute patris, factorem corporis ipſum:
Quos obturatis fugiendum eſt auribus vltro,
Nec ſermone ſuo maculent innoxia corda.
Nos igitur, quos tanta Dei perfudit honeſtas,
Veraque doctoris cœleſtia verba magiſtri E
Inſtituere bonis, recta & monumenta dedere;
Semper honoremus Dominum, ſine fine canamus,
Gaudentes puraque fide, certaque ſalute
(Nati vero Deo nutrimur pane perenni)
Æternam toto ſperantes pectore vitam.

---

# ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM QVARTUM aduerſus Marcionem.

## CAP. I.

1. Hæc populo inueni, &c.] *Caput hoc inſcripſimus*: De libri huius argumento. *Atqui obſcuriſſimum eſt illud, & fortaſſis mendoſum:*

Non vt doctores (ſolus daret omnia Chriſtus), *Correximus vero.*

Excelſas turres, & mœnia ſæua malorum, *&c.*

Detrahere, *pro* Detraheret. *Accipit autem, vti in argumento quoque dictum eſt*: æmulamenta, *pro Antitheſibus: quarum frequens mentio ſupra Tomo 3. libris quinque aduerſus Marcionem.* F

## CAP. II.

2. Ergo Deus cunctis mortalibus vnus, &c.] *Titulum huic capiti imponimus:* De vnico Deo. *Hic vero diſtinximus*: potus ſapientia conditus omni, *vt* ſapientia *Ablatiuus ſit more Auctoris, correpta vltima ſyllaba, vbi caſtigauimus*: conditus, *pro* creditus. *Legimus etiam*: vt ſit ſponte perrennis, *pro* perenni, *&*: infernique locator, *pro* locatur.

3. Ex quo omnis patria in cœlo terraque vocatur, &c.] *Reſeruata eſt ab Auctore in hac ſcriptura Epheſ. 3. vox Græca* πατριὰ, *de qua B. Hieron. adu. Heluid. ſcribens, fatetur Latinos paternitates vocare, quas Græcis vocant* πατριὰς, *quum ex vna radice multa generis turba diffunditur.*

## CAP. III.

4. Reddidit ergo Deus gratis peccata paterna, &c.] *Inſcriptionem huic capiti dedimus*: Quo ſenſu Deus peccata paterna, puniuerit in nepotibus, nempe peccata patrum ſequentibus. *Vbi* cataclyſmi *vocem Græcam retinuit, pro* diluuio. *Sunt autem verba Marcionis vſque*: Quod crudele putes, *&c.* G

## CAP. IV.

5. Cur Deus ergo iubet pecorum ſibi ſanguine fundi, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De Antitheſi qua Deus pecorum ſibi ſanguinem fundi iuſſit, & tamen negat hæc ſibi munera grata. *Qua occaſione pulcre explicat ſacrificia*, vituli, vitulæ, *&* hirci vtriuſque, *adludens iterum ad c. 9. Epiſt. ad Hebr.*

6. Atque ſacerdotes voluit ſui corporis eſſe, &c.] *His verbis confirmari* veritatem corporis & ſanguinis Domini, *ſupra adnotauimus lib. 4. adu. Marc. 40. num. 662 vbi ea de re latius. Rurſus autem paulopoſt, dum* vitulæ victimam *explicat, vtitur voce*: contamine, *pro contaminatione. Atqui deinceps, de* duobus hircis agit.

## CAP. V.

7. Nam velum in medio pendens cernebat vtroſque, &c.] *Capitis huius titulus* ☙: De templo interiori & exteriori ex Exod. c. 26. & ad Hebr. c. 9. *Accipitur vero* cernebat, *pro* diſcernebat, *vtpote quod diſtingueret inter* Sancta ſanctorum, *quo ſolus ingrediebatur ſummus Pontifex, & ſancta ſiue Tabernaculum, in quod intromittebantur ceteri ſacerdotes.*

8. Hic Aaron eſt virga, &c.] *In eo quod additur*: crucis quæ germina profert, *videtur eſſe mendoſum illud*: crucis, *vocem autem Græcam* κάρυα, *quam Num. 17. Interpres vulgatus vertit ex Hebræo* amygdala, *Auctor* Styracis nuces *interpretatur. Et vero communis eſt vox Græca ad vtrumque: vtpote quæ omnis generis nuces ſignificet Quod vero ſignificarit* Mariam virginẽ virga Aaron, *habes infra c. 7.* H

9. Atque ſuper Cherubim per formam quattuor vnam, &c.] *Adludit partim ad* Cherubim *duo obumbrantia propitiatorium, de quibus Exo. 25. partim ad 4. animalia, Ezech. 1 quæ* Cherubim *nuncupantur, Ezech. 10 & quæ Auctor c. 7. infra quatuor Euangeliſtas interpretatur. Correximus proinde ex his ſcripturæ locis*: Pandebant pennas, *pro* pinnas, *ſicuti rurſus*: & ſagmina iuſſu tegebant, *pro* iuſſa, *quamquam interim vox*: ſagmina, *quid ſibi velit, non intelligam. neque enim apta eſt ſignificatio, verbenarum, quas* ſagmina *vocabant, in indicendis bellis aut pace vſitatarum, ad latera propitiatorij.*

10. Exterius velum, &c.] *Accipitur*: exterius *Aduerbialiter, pro* extra. *Quum autem dicit*: totidemque lucernæ, *ſeptem intelligit, nam &* candelabrum bis ternis ramis conſtans cum medio calamo *ſeptenarium conficit, vnde fit vt cap. ſequ. de* ſpiritu ſeptemplici candelabrum *interpretetur.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A

### CAP. VI.

11. Ergo prior templi facies, &c.] *Titulum huic capiti dedimus:* Quid anterius ſiue exterius templum ſignificauerit. *Illud autem,* vitam ſine lege, *corruptum videtur.*

12. Fœderis hinc etiam noui inenarrabilis auctor.

Diſcipulus Ioannes, &c.] *Etiam hic eidem* Ioanni *adſcribit, &* *Euangelium* (*quod* fœdus nouum *nuncupat*) *& Apocalypſin* (*de qua latius li.4.adu Marcion.c.5.nu.41.*) *vtpote quum citet Apocal. cap. 6. Atqui hic per cæſuram abſumi debet littera vltima in dictione* diſcipulus, *iuxta morem Chriſtianis Poetis, & Auctori ſupra vſitatum.*

13. Abrahæ ſinus iſte vocatur, &c.] *De hoc vide ſupra libr.4. adu. Marc.c.34.n.550. & 551. Hic, præterquam quod etiam* ſinum Abrahæ ab inferni tenebris, & igne longe ſemotum *ſcribit, ſicuti ibi, addit:* ſub terra tamen, *& magis ad communem accedit Theologorum ſententiam in eo quod habet:* paſſo Domino, ex duplici domo (*nempe* ſinu Abrahæ, & æterna gloria) factam eſſe vnam domum perennem, *quum*

Cœleſtes patuere plagæ, cœlataque ſancta.

*Atqui adeo quum ſcriberet, nondum in errorem Millenariorum inciderat, de quo latius inter Prolegomena.*

### CAP. VII.

B

14. Interius templum, &c.] *Inſcriptionem huic capiti impoſuimus:* Quid interius templum, arca, tabulæ teſtamenti, mannæ vrna, virga Aaronis, & 4. animalia, ſignificauerint. *Illud vero.*

(Perſonæ hic propriæ vere, non vmbra ligatur)

*parentheſi incluſimus, quamquam adhuc mendoſum ſit & mutilum. Atqui caſtigamus:* Aeriæ pelles, *pro:* Aeria, *nam explicat* pelles agnorum, quibus cœli colore arca contecta fuit, *vti c.5. dictum eſt. Quæ denique de* vrna mannæ *ſubiungit, paulo obſcuriora ſunt.*

15. Aſt quatuor alæ ſex, &c.] *Rurſus hic more ſuo ex tribus locis ſcripturæ, ſicut ſupra c.5. (vti ipſius verbis loquar) centenario more vnum facit, nam illud:* de quater ſex alis, *ſiue* pennis, *legitur Ezech.1. Quum autem ſubijcit:*

Alarum numerus antiqua volumina ſignat,

E

Eſſe ſatis certa viginti quatuor iſta,

*adludit ad veteris Teſtamenti volumina 24.* Hebraica, *& Græca quoque litterarum elementa, de quibus, aliiſque variis eorumdem partitionibus, vide Sixtum Senenſem Bibl. Sancta li.1.*

16. Sic quoque Ioannes, &c.] *Quod hic inter cetera adfert ex Apocal. Ioan.c.4.de* XXIV. ſenioribus:

Ad ſolium Domini, vitreum & mare, ſtare ſub igne,

*quum* ignis *nulla illic mentio expreſſa ſit, videtur referri ad id, quod* de ſolio *ſiue throno procedebant fulgura, vnde & ſubiungit:* vitreum flammæ mixtum mare. *Sequentes vero verſus ſatis obſcuri ſunt, quantum apparet, mendoſi. In quibus caſtigauimus* albis, *pro:* altis, *&* mitra, *pro* mira, *nam induti erant* albis *& coronis.*

### CAP. VIII.

17. Sic igitur Lex, &c.] *Caput hoc inſcripſimus* Epilogus, *vtpote quo ex præcedentibus colligit* veteris nouique fœderis ſiue teſtamenti concordiam, & proinde docet fugiendos hæreticos obturatis auribus,

Ne ſermone ſuo maculent innoxia corda.

*De quo latius ſupra T.3.li.de Præſcript.adu.hæret.c.2.15.16. & 18. Emendauimus vero:* Dominumque Deumque, *pro:* dominique.

F

## ARGVMENTVM LIBRI QVINTI ADVERSVS MARCIOnem, ipſis Auctoris verbis:

HIc quinctus multos nexus nodoſque reſoluit.
In planum mala conuoluit quæcunque latebant.

*Tractat enim pene omnes Marcionis hæreſeis, & ad argumenta eius paucis reſpondet, quo ſit, vt titulo adiecerimus:* DE VARIIS EIVS HAERESIBVS.

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, ADVERSVS Marcionem liber.

## Quinctus, De varijs eius Hæreſibus.

G

C

Cap.I.

PRIMVS 1 erat referens inimici ex ordine verba,
Quæ refuga illicite molitus protulit amens,
Hinc etiam carnis ſpes & victoria Chriſti,
Et ſpecies breuiter falſarum dicta viarum.
Inde ſequens coniuncta docet myſteria legis,
Inque nouo Deus quæ fœdere tradidit vnus.
Tertius ingenua gentem de matre creatam,
Vatibus & Patribus ſacratos eſſe miniſtros,
Quos numero bis ſex de cunctis Chriſte legebas,
Maiorum natu cum nomine tempora, luſtri
Tempora ſeruati, ſceleris cui paruit auctor
Ignotus, ſine lege, vagus, cum prole relictus.
Quartus & ipſe refert obſcura piacula Legis
Eſſe typum veteris, quæ paruit hoſtia vere,
Iamdudum exſpectata piis cum ſemine ſancto.
Hic quintus multos nexus nodoſque reſoluit.
In planum mala conuoluit quæcumque latebant.
Argumenta trahens, ſed non ſine teſte Propheta.
2 Et quamuis hoſtes muniti fortibus armis,
Vincamus, tamen illicita, polluta, nefanda,
Commaculata ſimul, ſic miſcuit omnia ſerpens,
Cæcorum ſine luce viam, contamine vocem,
Vt dum factorem mundi contendimus ipſum
Eſſe Deum ſolum, vatum quoque voce locutum,
Ignotumque alium quemquam non eſſe probamus,

D

Vix mundum linguam ſermonis culpa reſeruet,
Complexu vario notum dum laude ſequentes
Culpamuſque alias ignoti tempora ſera,
Sed cogunt nos multa doli cælata venena,
Ancipiti quamquam cum crimine, pandere verba.

Cap.II.

[3 Quiſnam ergo Deus? quem verum dicitis eſſe,
Ignotum populis, alienum denique mundo?
Hunc quem nemo prius norat, hic venit ab alto?
Si ſua, cur tam ſera petit? ſi non ſua, quare
Vt prædo rapit, & populum ſub lege morantem
Ignotis toties per legem vocibus opplet?
Si miſereri etiam venit, & ſuccurrere cunctis,
Et releuare graui deuictos funere mortis,
Carnis & obſcœno ſpiramen ſoluere vinclo,
Qui cohibetur homo interior, conciſus inique,
Cur tam ſero pius vigilans, ſemperque benignus?
Qui numquam prius omnino ſe præbuit vlli,
Tranſmiſſis numero alienos ore requirens,
Numquam exſpectatus, non notus, miſſus in orbem.

Cap.III. Luc.15.

[4 Paſtor ouem quærens, quam non amiſerat ante,
Debuit exutus carnem, quaſi victor & ipſe
Spiritus, vt fuerat ſemper, taleſque volebat,
Omnes expulſas animas ſine corpore paſſim
Eripere, & carnem ſpoliatam linquere terræ,
Vna die pariter complere cadauere mundum,
Euacuare orbem, atque animas adtollere cœlo?
Progenies hominum naſci ceſſaſſet in vnum,
Et nulla poſthac generis proſapia veſtri
Nata foret, peſtemque nouam fudiſſet in orbem.
Vel quia tunc nihil ex his factum oſtenditur eſſe,
Debuerat finem generi ſtatuiſſe futuro.
Connubii ſolido complexus corde repleſſet.
Feciſſet torpere viros, ſine germine fructus,
Fœminei ſexus cubitus tædere dediſſet,
Clauſiſſet penitus carnis genitalia membra,
Nulla voluntas noſtro animo, neque poſſe facultas.

H

Poſthæc poſſet & interior homo ſanguine iunctis
Hærere infuſus carni, ſemperque periret.
Semper ouis perit, ergo nec eſt ſeruare poteſtas?
Quum ſemper naſcatur homo, ſub crimine mortis
Quod paſtoris opus, ſi ſic inuenta docentur:
Inquæſita ergo, ſed non erepta probatur.
Nunc vero delectus adeſt connubia adire.
Vt ſemper fuit, quem iunxit certa propago,
Naſcuntur gentes, & vix numerabile vulgus,
Accipiunt animas naſcentum corpora viua,
5 Nec Paulum decuit, quamuis pro tempore, quoſuis
Hortari, velut ipſe fuit, pare ſorte monere,
Temporis anguſti cernens inſtantia multa,
Nam teneras alias ætates nubere iuſſit,
Nec ſe fraudari ſed debita reddere pacto.
Vos autem aſtuta quis ſuaſit fraude manere,
Diuiſio prolis ſecuros degere amore,
Crimen adulterii committere, perdere vitam;
Et quamquam perit, id falſare agnomine verbi:

A Quapropter vocis tam dulcia cuncta profundit
Impauidi quidquid placet, vt faciatis oportet,
In faciem caſti, maculati crimine furtim,
Hac cauſſa vos connubio priuauit honeſto.
Sed quid plura? bene eſt diſiunctos, ſcilicet, eſſe
Expedit & mundo, ne veſtri germinis vllus
Naſcatur, tandem; ceſſabunt organa mortis.
Cap. IV. [6 Patrem hominis, dum ſperatis retinere ſalutem,
Totus homo veſter deperdit mente prophana,
Interior, ſimul & veterem quem dicitis hoſtem,
Sed & homo ſolum ſpiramen dicitur eſſe;
Nec vetus eſt homo dicta caro, nec ſunt inimica
Spiritus & caro, verus homo ſociatus in vno;
Nec ſibi priuatos ſenſus cernuntur habere.
Hæc regitur, regit ille, gemit, gaudetque, doletque;
Diligit, ipſe ſuæ carni cariſſimus idem,
7. Per quam paret homo, cum qua commixtus habetur;
Vulneribus curas adhibet, lacrymaſque profundit,
Nutrimenta cibi cupide per membra reſumit,
Hanc optat ſecum immortalem ſemper habere,
Quam frangi gemit, & dolet euacuare per artus,
Illi mors miſeræ dominatur tempore certo,
Quo renouata leui de puluere mors inimica
Deficiat tandem, caro quum reſoluta reſurgit.
B Hæc erit exſpectata diu victoria ſumma,
Quam fecit virtute patris, venerandus in æuum
Factus vero homo, hominis qui membra redempta
In cœlos tulit, atque aditus ſpe diues aperuit.
Principio gentis in linguis omnibus, inde
Hic vbi ſemper opus, patria pietate miniſter.
Viſus ab inciſo, miſſus patiendo peregit.
Cap. V. [8 Quid nunc infandæ voces, quid perdita turba?
Exod. 20. Si non ipſe dedit leges, Deus ipſe creator,
Ægypti de calle viam qui ſtrauit in vndis,
Ioſ. 13. Et ſedes gratis dedit has, quas dixerat olim;
Ipſa cur in gente venit, terraque dicata?
Non alios populos, aut altera regna petiuit?
Cur iam per vates, prædicto nomine toto,
Non proprio ſuo, ſe vocitatum tradidit eſſe?
Vnde etiam potuit baptiſmi dona benigna
Promiſſa abs alio tamquam ſua promere facta?
Hæc mandata Dei tranſgreſſi, ſorde reperti
Optabant, veniamque fera de morte petebant;
Exſpectata diu merito venere, ſed illis
Qui prius audita, at nunc agnouere reperta,
Hoc det vera manus Chriſti, pater ipſe creator
Semper ab æterno monet, & pia voce requirit,
Quodque figurauit, fouet, atque figurat, & armat,
Et iam deſpectum victor ſua luce reueſtit,
C Vt maneat virtutis opus cum laude perenni.
Cap. VI. [9 Quid præſtare Deus, quid poſſit homo pati, vt omnes
Agnoſcant, viuant, quod fecit viua poteſtas;
Sed quia nec prædicta prius, nec facta ſuprema
Dementes homines poſſunt ſuadere furentes;
Eſſe hominem factum Deum, paſſumque, ſepultum,
Surrexiſſe, vt eis tantis clamantibus olim
Cœleſti verbo complexis teſtibus, ambo
Terreſtri ſaltem rationi credere diſcant.
Luc. 2. Quum Dominus Chriſtus caro naſci, venit in orbem
Auguſti Regis Romani tempore, primum
Decreto gentes cenſu numerantur vbique;
Idem Rex hoc forte tulit, quia ſumma voluntas
In cuius manu, regnantis cor, legibus eſſet,
Fecit primus, & in numerum ſcriptura redacta eſt.
Tunc etiam Ioſeph, Maria cum coniuge fœta,
Cœleſti pariter gnato numerantur, & ipſi.
Hinc inſtrumentis humana aſtutia niſa
Qui teſtes ſancti verbi, præbere probantes
Inquirant, vel ſic inuento poſt ea victi
Pœniteant, veniamque rogent, dum tempus habetur.
Cap. VII. [10 Iudæi graue qui ſcelus admiſiſſe fatentur,
Dum detrectantes ardent, nobiſque reſiſtunt,
Nec genus ignotum dicunt, neque dicere poſſunt,
D Suſpendiſſe hominem ſe ligno, vera locutum
Iguari Domino carnem ſine ſemine victam.
Sed pro parte quidem reticent, pro parte triumphant;
Namque Deum populis hominem vulgare laborant.
Aſpicite errorem qui vos expugnat vtroſque;
Pro nobis hic erit, dum vobis certa probamus.
Illi Deum, vos falſo hominem ſine corpore corpus
Dicitis, & varia heu mentis veſania mergit.
Quod qui præſumpſit, mergentes ſpargitis ambo;
Namque hominem pariterque Deum, tunc facta probabunt
Cap. VIII. Commixtum, nec pauca dabit ſignacula mundus.
Matth. 26. [11 Filius ipſe Dei dum carnis membra requirit,
& 27. Iam prætextatus palmarum ſuſtinet ictus;
Conſpuitur vultus, ſpinis innexa corona
Compungit caput, & ligno ſuffigitur ipſe;
12 Portatur ſcriblita, & fel miſcetur aceto,
Diuiditur veſtis, ſortes mittuntur in illa;
Quod rapuit ſibi quiſque tenet, caligine multa, E
Exſpirante Deo tacite de corpore carnis,
In tenebris tremefacta dies cum ſole refugit;
Bis fuit vna dies, mediam nox atra coperuit.
A fundamentis montes agitantur in orbem,
Commota eſt tellus, patuere ſepulcra piorum,
Cunctaque quem norunt, paſſum timuere videre.
Exanimum telo miles latus haurit aperto. Ioan. 19.
Profluit & ſanguis, nec aqua minus inde ſecuta.
Hæc illi pacto cælant, noluntque fateri
Admiſſi factum, nefas occultare volentes.
Spiritus ergo poteſt gerere ſine corpore veſtem,
Aut pœnam capit, aut fere violentia vulnus?
Aut moritur, ſurgitque, & ſanguis funditur inde
De qua carne, quia illum vos habuiſſe negatis?
Aut finxit potius, ſi vos dicere tutum eſt?
Quamquam præcipites dicatis, plura tacendo.
Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa?
Ante diem, quam quum pateretur paſcha celebrans,
Diſcipuliſque ſuis tradens memorabile factum,
13 Acceptum panem pariter vitiſque liquorem
Corpus, ait, ſanguiſque meus, qui funditur, hic eſt
Pro vobis, fieri ſemper quod poſt ea iuſſit;
Quave creatura panem vinumque putatis F
Eſſe ſuum corpus cum ſanguine? quæque fatenda?
Non ſe factorem mundi per facta probauit,
Et portare ſimul de carne & ſanguine corpus?
[14 Hic Deus, hic & homo verus, verumque locutus;
De patre principium, genitum de lumine lumen, Cap. IX.
Spiritum & verbum, Patris ſub imagine virtus,
Cum patre ſemper erat, vnitus gloria & æuo,
Omnitenentis enim ſolus quia verba miniſtrat,
Quem capit in terris, & per quem cuncta creauit,
Filius ipſe Dei, cariſſimus ipſe miniſter.
Hinc genus, hinc & nomen habet, hinc denique regnum;
De Domino Dominus, fluuius de fonte perenni.
Hic Patribus ſanctis parens ab origine mundi,
Teſte Deo, quicumque Deum vidiſſe fatetur,
Promiſſa & memoranda patris patefecit ab alto.
Eduxit populum, gentem percuſſit iniquam;
Ipſe columna fuit lucis, nubiſque rigoris;
Siccauitque mare, & populos iubet ire per vndas Exod. 13.
Hoſtibus implicitis, fluctuque fretoque copertis,
Per deſerta viam fecit ſua iuſſa ſecutis,
De cœlo populo panem dimiſit in vmbris;
Erupitque petram, ſitientes vnda rigauit,
A Deo mandatum Legis Moſique locutus Exod. 14.
Cum tonitru cantuque tubæ, flammæque columna, Exod. 15.
Terribili viſu, tremebundo corde virorum. Exod. 16.
Poſt bis vicenos completis menſibus annos, Exod. 17.
Iordane diuiſo, patuit via, conſtitit vnda, Exod. 19.
Partitique tribus terram promiſſa paterna. & 20.
15 Ipſe Prophetarum verbum patris ore locutus, Ioſ. 13.
Eſſeque venturum terris, hominemque futurum G
Prædixit, Chriſtum terris manifeſte profatus.
[16 Exſpectatus in auxilium, ſpes vnica vitæ,
Mundator carnis feræ, mortiſque fugator:
Tandem venit ab imperio patris omnipotentis,
Humanis ſeſe veſtiuit & artubus ille. Cap. X.
Adam, virgo, draco, lignum, quæ cauſſa ruinæ,
Et via qua nos mors temeraria vicerat omnes,
Hac eadem grediens paſtor, pecudemque requirens, Gen. 1.
Angelo, virgine, carne ſua, lignique medela,
Ex quo victus homo, victos periturus obibat,
Hic interpoſitus pro captis omnibus vnus; Luc. 1.
Suſtinuit patiens inimicam in corpore pœnam, & 13.
Morte ſua ſpolians mortem, fit cauſſa ſalutis, 1. Cor. 15.
Nec non in terris ſuo poſtquam corpore ſancto
Omnia perpeſſus, perſoluit debita noſtra,
17 Infernum petit, hic animas pro crimine vinctas,
Quæ ſine præſidio, concluſæ pondere legis,
Olim promiſſa, & ſperata, & tarda rogabant,
Sanctorum in requiem dedit, & cum luce retraxit.
Tertia namque die ſubiens cum corpore victor,
Immani virtute patris, via facta ſalutis,
Inque creatura portans hominemque Deumque,
Conſcendit cœlos, captiuas ille reducens
Primitias, munus Domino caramque figuram,
Conſeditque patri lucis virtute recepta,
Gloria qua munitus erat, dum vinceret hoſtem, H
Spiritu coniunctus, de nobis carne ligatus.
Hunc pater, & Dominum & Chriſtum, Regemque, Deumque
Iudicio regnoque dato miſſurus in orbem eſt.

A

# ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM QVINTVM ADVERSVS MARCIONEM.

## CAP. I.

1. Primus erat referens, &c. ] *Titulum huic capiti impoſuimus:* De horum quinque librorum argumentis, aduerſus Marcionem. *Quem* refugam *non ſemel his libris appellat, quod à fide Catholica deſciuerit, quemadmodum latius videre eſt lib. de Præſcript. aduerſ. hær. cap. 30. num. 197. & lib. 1. adu. Marc. num. 2. Caſtigauimus autem tum in Argumentis ſingulis libris præfixis, tum hoc loco:* Inque nouo Deus quæ fœdere, *&c. pro:* Diuis, *&:* piacula Legis, *pro:* Regis. *Optaſſemus etiam ms. exemplaria ad recognoſcendum quod hic adfert de* libro tertio, *quod adeo quum obſcurum eſſet, & fortaſſis corruptum, argumento ſupra non adiunxi.*

2. Et quamuis hoſtes, &c. ] *Pulcher locus contra eos, qui libenter verſantur in libris hæreticorum, quum vel in argumentis eorum confutandis (hic teſte Tertulliano)*

Vix mundam linguam ſermonis culpa reſeruet.

*quo pertinet etiam illud:* Ancipiti quamquam cum crimine. *Sunt*
B *autem rurſus Tertullianica:* illicita, *producta vltima, &:* contamine. *Atqui caſtigamus:* Ignotumque alium quemquam, *pro:* quamquam, *&:* laude ſequentes, *pro:* ſequentem.

## CAP. II.

3. Quiſnam ergo Deus? &c. ] *Huic capiti inſcriptionem dedimus:* De Deo vero omnibus noto, & non nouo, *de quo latius tractauit ſupra alicubi libris aduerſ. Marc. iiſdem pene rationibus quibus hic vſus:* Si ſua, cur tam ſera petit? *&c. Illud autem paulopoſt obſcurum eſt, & fortaſſis mendoſum:* Tranſmiſſis numero. *Hic certe caſtigauimus, quamquam repugnante lege carminis, eo quod licentia ſimili etiam alibi vtatur:* Quiſnam ergo Deus, *pro:* Quis non, *quod nullo ſenſu legebatur.*

## CAP. III.

4. Paſtor ouem quærens, &c. ] *Caput hoc inſcripſimus:* De bono matrimonii. *Quaſi enim alïud agens, adhuc perſiſtens in abſurditate, quæ oritur ex Deo nouo, tranſit ad confirmationem* connubiorum, *quæ Marcion reſpuebat, de quibus ſupra lib. 1. adu. Marc. ca. penult. Caſtigauimus vero:* &, *pro:* vt, *quia ſequitur:* vt fuerat, *& paulopoſt accipi videtur* repleſſet, *pro adimpleſſet, & ad finem deduxiſſet, quum dicit:*

Connubii ſolido complexus corde repleſſet;

*& mox:* cubitus, *Genitiuo caſu, pro:* concubitus.

C 5. Nec Paulum decuit, quamuis pro tempore, quoſuis. Hortari, &c. ] *Prorſus legendum:* quoſuis, *pro:* quoſdam, *eo quod ſubditur:*

Nam teneras alias ætates nubere iuſſit,

*vbi* alias *aduerbialiter ſumitur (ſicuti alibi non ſemel) pro: alioqui Quum enim 1. Cor. 7. legatur.*

Hortari, velut ipſe fuit, pare ſorte manere,
Temporis auguſti (*Græce eſt enim* συνεσταλμένος) cernens inſtantia multa,

*idem tamen* teneras, *id eſt, quæ continere non poſſunt*, ætates nubere iuſsit. *Atque hoc ipſum eſt quod lib. 5. aduerſus Marc. cap. 7. dicit:* Etenim Apoſtolus, etſi bonum continentiæ præfert, tamen coniugium & contrahi permittit & vſui eſſe, & magis retineri, quam diſiungi ſuadet *Quæ verba ad loci huius alioqui obſcurioris, & forte corrupti, intellectum faciunt.*

## CAP. IV.

6. Partem hominis, &c. ] *Titulum huic dedimus:* De ſalute carnis æque atque animæ. *Bis enim terve, quod pulcrum eſt, repetere ſolet Auctor, de eodem enim tractat ſupra bis hoc eodem opere. Accipit etiam more ſuo:* deperdit, *mox pro:* deperditur. *Atqui legimus ex abſurda conſequentia:*

Sed & homo ſolum ſpiramen dicitur eſſe,

*pro:* Sed nec, dum *(inquam)* Partem hominis ſperatis retinere ſalutem, *ex quo etiam ſequitur illud:*

Nec vetus eſt homo dicta caro, nec ſunt inimica
D Spiritus & caro, *nec (id enim ſubintelligitur)* verus homo ſociatus in vno eſt, *quæ omnia ſcripturis ſunt contraria,*
Nec ſibi priuatos ſenſus eernuntur habere;

*cui contradicit deinceps Auctor quum ſubdit:* Hæc regitur, regit ille, *&c.*

7. Per quam paret homo, &c. ] *Accipitur etiam hic phraſi Tertullianica:* paret, *pro apparet, cui eſt ſimile & illud infra c. 9.*

Hic Patribus ſanctis parens ab origine mundi.

*Pertinet etiam ad licentiam Poeticam illud:* ſpe diues aperuit, *ſicuti etiam infra cap.* 8. nox atra coperuit. *Eſt autem obſcurus verſus, & quantum videtur mendoſus:*

Viſus ab inciſo, miſſus patiendo peregit.

## CAP. V.

8. Quid nunc infandæ voces &c. ] *Huic capiti inſcriptionem fecimus:* De Deo eodem veteris & noui teſtamenti, *quod ipſum etiam ſupra libris adu. Marc. & hoc ipſo opere non ſemel tractauit Auctor. Caſtigamus vero:* E

Si non ipſe dedit leges Deus ipſe creator,

*pro:* Si non ipſe Deus, *&c. Atqui hic locus hoc velle videtur, quod alibi non ſemel dixit, & infra proſequitur c. 9. Chriſtum (non Deum patrem) ſemper retro viſum eſſe, atque adeo eundem eſſe Deum, qui & in veteri Teſtamento & in nouo apparuerit, de quo interim latius inter Paradoxa auctoris in Prolegomenis, ſicuti etiam de eo quod videatur &* Chriſtum *appellare* Deum creatorem, *non ſolum* Deum patrem.

## CAP. VI.

9. Quid præſtare Deus, quid poſſit homo pati, &c. ] *Caput hoc inſcripſimus:* De Chriſto non ſolum Deo, ſed & homine. *Caſtigauimus autem:* furentes *pro:* præferentes, *ad præcidentia referendum, non ad ſequentia verba Rurſus vero producitur prima ſyllaba in voce* Deum, *quum ſubditur:*

Eſſe hominem factum Deum, paſſumque.

## CAP. VII.

10. Iudæi graue qui ſcelus, &c. ] *Titulum huic capiti dedimus:* Quod Iudæi hominem agnoſcunt Chriſtum, at Deum negant, quod tamen vtrumque ſcripturis probatur. *Emendauimus vero:* F Sed pro parte quidem, *pro:* quidam, *& vocibus tranſpoſitis:* Illi Deum, vos falſo hominem, *&c pro eo quod erat:* Illi hominem, vos falſo Deum, *vtpote quum licentia Poetica, i, litteram in fine dictionum corripiat.*

## CAP. VIII.

11. Filius ipſe Dei, dum carnis membra requirit, &c. ] *Inſcriptionem capiti huic fecimus:* De Chriſto homine.

12. Potatur ſcriblita, &c. ] Scriblita *etiam penultima contra naturam correpta, abutitur Auctor pro potione amara Chriſto à Iudæis propinata, quum alioqui Plauto, & Catoni potius ſit cibi ſeu placentæ genus. Sequitur etiam Græcorum lectionem, qui* acetum *legunt cum* felle *mixtum, pro eo quod Latini plerique vinum, quæ varietas nata ex vicinia vocum* ὄξος *&* οἶνος. *Rufinus in Symbolo vtrumque expreſſit, vinum myrrhatum, & acetum. Rurſum autem accipitur bis:* Non, *pro:* Nonne, *paulopoſt in illo verſu:*

Non ergo manifeſta fides, non omnia fixa?

*vbi* fixa *accipit pro: certis, & rurſum ibi:*

Non ſe factorem mundi per facta probauit.

13. Acceptum panem, &c. ] *Facere etiam hunc locum pro* veritate corporis & ſanguinis Domini *in Sacramento Euchariſtiæ, ſupra adnotauimus lib. 4. adu. Marc. cap. 40. nu.* 662.

## CAP. IX.

14. Hic Deus, hic & homo verus, &c ] *Caput hoc inſcripſimus:* De Chriſto Deo qui patribus apparuerit. *Caſtigamus autem neceſſario:* Patris ſub imagine virtus, *pro:* Chriſti *neque enim Chriſtum à ſeipſo aut imago aut virtus recte appellaretur. Obſcurum vero, &, quantum apparet, corruptum eſt illud:* Quem capit in terris. G

15. Ipſe Prophetarum verbum patris ore locutus,
Eſſeque venturum terris, &c. ] *Prorſus coniungendi fuerunt hi duo verſus, & prætermittendus ille intermedius, qui adhuc ad librum Ioſue pertinet:*

Partirique tribus terram promiſſa paterna,

*neque enim in illo libro vlla de Chriſto prædictio, ſed apud Prophetas quamplurima, quorum multa videre eſt, tum Tomo 1. libro aduerſus Iudæos, cap. 6. & deinceps, & ſupra libro 3. aduerſus Marcionem capite 5. 6. 7. 12. 13. 14. 15. 16. 17 18. 19. 20. 21. 22. & 23.*

## CAP. X.

16. Exſpectatus in auxilium, &c. ] *Titulum huic capiti dedimus:* De Chriſti paſſione & gloria, *vbi imprimis pulcra eſt comparatio, quod quum fuerint homini* cauſſa ruinæ, virgo, draco, lignum, *Chriſtus dæmonem vicerit,*

Angelo, virgine, carne ſua, ligni que medela;

*hoc eſt enim quod vult verſu illo obſcuro, &, quãtũ apparet, mendoſo:*

Ex quo victus homo, victos periturus obibat.

17. Infernum petit, &c. ] *De hoc articulo fidei, quem tamen Eraſmus in Symbolo Apoſtolico agnouiſſe vix videtur, vide ſupra lib. de Præſcript. adu. hæret. cap. 13. num. 86.* H

# ARGVMENTVM LIBRI DE IVDICIO DOMINI, PER IACOBVM PAMELIUM.

DE iudicio Domini ſcripturus Tertullianus; *imprimis more Poetico Muſas inuocat, ad modulandum quatuor anni temporum, & mundi totius fabricam.*

A
II. *Deinde celebrat hominis ſormationem.*
III. *Hinc eius tranſgreſsionem, & originale peccatum, ac mortem in vniuerſum genus humanum inde ſecutam.*
IV. *Porro ad inſtitutum veniens, primum agit de iudicio particulari poſt mortem ſingulorum.*
V. *Inde de reſurrectione mortuorum Deo non impoſsibili.*
VI. *De aduentu poſt hoc Domini, & comparitione omnium ad Iudicium.*
VII. *De verbis Iudicis ad ſua iuſſa ſecutos, quod ad perpetuam vitam euocabit.*
VIII. *Cum deſcriptione Poetica cœleſtis gloriæ.*
IX. *Item de verbis Iudicis ad impios, quibus flammas addicit perpetuas.* E
*Cum ſimili deſcriptione gehennæ.* X.
*Porro addit quod id olim ſancti cecinerint Prophetæ, & qui in Chriſti paſsione reſurrexerunt.* XI.
*Quocirca Iudicij memores mutare vitam omnes admonet.* XII.
*Ceterum videtur huius meminiſſe Auctor ſupra lib. 2. aduerſ. Marc. cap.27. in hæc verba:* Iudicem quidem & illum (*nempe Deum* ) eſſe, iam oſtendimus in LIBELLO SVO. *Etſi enim lib. 1. adu. Marc. id argumentum etiam tractet cap. 25.26. 27. & 28. tamen non poterit ille Liber inſcribi* DE IVDICIO, *quia etiam alia multa de Deo tractat.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, DE IVDICIO DOMINI Liber.

B
Cap. I. QVis 1 mihi ruricolas aptabit carmine Muſas?
Et verni roſeas titulabit floribus auras?
Æſtiuæque graues maturas meſſis ariſtas?
Quis dabit & tumidas autumni vitibus vuas?
Quiſve hiemi placidas ſemper laudabit oliuas?
Recludetque ipſis renouatas fontibus vndas?
Frondenteſque vago cædet de gramine flores?
Protinus ætherei modulabor luminis auras.
Iam mihi luciferas liceat contingere Muſas,
Pandere ſecretas fluuiali vertice lymphas:
Et lætas alio poſitas ſubſidere ſyluas,
Æternaque ſimul modulabor carmine flammas,
Vnde mare tumidum, immenſa fluctuet vnda,
Quæ virtus ſolidas moueatque tremiſcere terras,
Et lux vnde nouo præfulſerit aurea mundo:
Quiſve hominem læto potuiſſet fingere limo,
Vnde genus vacuo potuiſſet creſcere ſeclo:
Et quæ viuendi populo ſit multa cupido,
Quæve creata malo, moriendi, quæve propago,
Vnde bonus roſeis ſit odorque roburque coronis.
Quid faciat lætis vt vitis abæſtuet vuis,
Et plena è teneris tendantur vt horrea culmis,
Arbor vt in glacie nigris pubeſcat oliuis.
Germinibus quis det varii incrementa vigoris,
Mollibus & matrem pullorum protegat vmbris.
Gen. 1. Omnia noſſe bonum quæ ſint miracula rerum,
C Vt Dominum liceat per cuncta agnoſcere verum:
Qui lucem, maria, & cœlum, terramque parauit,
Ornauitque nouum variato ſidere mundum:
Et pecudes primum, & volucres, procedere iuſſit,
Et dedit æquoreas compleri piſcibus vndas,
Et fœcundatas animabus cogit harenas.
Talia compoſitis deducam carmina Muſis,
Atque ſalutares exponam fontibus vndas,
Et lætum placidis venientem nubibus imbrem,
Inque animas hominum penitus, vltroque fluentem,
Excipiat plenis in noſtra noualia riuis.
Cap. II. [2 Nunc age, ſecuram viuamque adtingere lympham,
Et celeres vitam amiſſam reparare per vndas
Si velit, æternæ & pœnas euadere flammæ,
Ignaruſque Dei, venturique inſcius æui,
Et potius venturæ adipiſci præmia vitæ:
Hunc vnum meminiſſe Deum, ſolumque precandum,
Qui totum in libra poſuit ſub limine mundum.
Æternumque manens, ſemperque futurus in æuum,
Sæcula cuncta tenens, ante omnia ſæcula ſolus
Ingenitus, ſine fine Deus, ſedemque ſupernam
Solus habens, ſolus cœlos ſupereminet altos,
D Omnipotens ſolus, cui parent omnia rerum:
Gen. 1. Qui ſibi complacitum hominem formauit in æuum,
Paſtorem pecudum, & dominum dedit eſſe ferarum:
Qui ſermone tenus potuit protendere cœlum,
Et ſolidam verbo potuit ſuſpendere terram,
Et dicto citius diſiunxerat æquoris vndam,
Ac manibus caram dilexit fingere formam.
Atque ſuam voluit faciem quoque ineſſe decoram,
Spirituque adflauit viuendi vultibus auram.
Cap. III. [3 Immemor ille Dei, temere committere tale
Gen. 2. Non vltra monitum quidquam contingeret vnum
Vnde malum ſciret pariter dignoſceret æquum.
Protinus illicitum vetuit contingere pomum.
Quanta Deus homini permiſit munera mundi?
Gen. 1. Et prædulce ſui ſignauit pignus amoris?
Iuſque dedit volucrum, pontumque ſolumque domandum,
Vtilia & caræ tribuit mandata ſalutis,
Sub ditione dedit terras, animaſque volantum,
Pennatumque genus, pecudum genus omne ferarum,
Et genus æquoreum, & deformia monſtra natantum. F
Sed quoniam primo tranſgreſſus crimine legem, Gen. 1.
Iamiam primus homo Domini mandata reliquit:
Coniuge quæ mala cuncta ſuaſit, morte peribat,
Peccat que malum commiſit fœmina primum,
Tranſgreſſaque ſuum decepit lege maritum:
Eua inducta dolo patefecit limina letho,
Et ſibi cum genere procreauit funera toto.
Hinc nefas incautum, mors hinc quaſi ſemen in æuum
Spargitur: inde magis facinus percrebuit atrox,
Atque labor corruptum agitauit ſæuior orbem.
Callidus hoc zelo ſerpens illexit in ipſo,
Inde magis populi accerſunt commiſſa malorum,
Atque nefanda malis pepererunt ſemina factis.
[4 Idcirco Dominus ſolus, cui ſumma poteſtas, Cap. IV.
Et ſuper alta tenens ſummi faſtigia cœli,
Altum in præcelſis habitans in ſecula lumen:
Præſentiſque memor, quoque præſcius ante futuri,
Progeniem meriti decretum ſeruat in æuum:
Et cunctas animas, tum corpora tarda gubernans,
Quæ ratione mouent hominem, per multa vagantem,
Vt primum poſiti membrorum pondera cedunt,
Terreniſque leues reſolutis nexibus ibunt,
Ac proprias capient diuerſis partibus oras.
Aſt alias lætis reuocari protinus auris,
Seruari penitus decretæ ad præmia legis,
Dum motis iterum reuireſcant corpora membris. G
Illic occultis claudentur praua tenebris.
Tunc homines primæ penſare præmia vitæ
Incipient, crimenque ſuum culpaſque putare,
Et pœnis retinere, procul de morte futuris,
Iudiciiſque Dei memores aſtare piorum,
Expectare ſuam ſuorumque ex crimine pœnam:
Funditus aut pecorum ſine nomine viuere vitam,
Incaſſumque Deo iam ſurdo fundere fletum.
[5 An Deus omnipotens, cuius ſub lege reguntur Cap. V.
Omnia, non valeat poſt mortem reddere vitam?
Aut aliquid Dominus rerum non poſſe videtur?
Si potuit tenebris pulſis extendere lucem, Gen. 1.
Atque omnem verbo ſubito componere molem,
Omnia de nihilo quoque voce potente parare:
Cur non ex aliquo poſſit componere, notam,
Quæ fuerat quondam, quam finxerat ante, figuram,
Aſſimilemque ſibi iubeat reſurgere formam? H
Quum ſint cuncta Dei: reddit magis omnia tellus:
Iuſſa retexet enim quidquid contexerat olim.
Si quem forte rogis aboleuit flamma ſepultum,
Aut aliquem cæcis diſiecerit æquor in vndis,
Si cuiuſque fame ſatiarunt viſcera piſces,
Aut fixere feræ crudelia funera membris,
Alitibus iacuit raptato corpore ſanguis:
Vltima non Domino rapient ſua munera magno.
Apparere Deo viuos de morte neceſſe eſt,
Reſumptiſque ſuis homines adſtare figuris.
Arida ſic vacuis redduntur ſemina terris,
Et penitus fixis putreſcunt mortua ſulcis.
Nonne animatur & hinc reparatis culmus ariſtis, 1. Cor. 15.
Atque iterum viuis flaueſcunt fortia granis,
Conſurguntque nouæ vario cum fœnore meſſes?
Sidera cuncta cadunt, iterumque renata niteſcunt,
Et dies in denſa moritur cum lumine nocte:
Occidit & iam nox rebus mox luce retectis:
Iamque ſuis alia atque alia dies ſurgit ab aſtris,

A Solque cadit, ſplendorifero qui lumine clarus,
Lux perit vmbrato venienti veſpere mundo;
Et renouata ſuo viuit fuligine Phœnix,
Et ſua mox volucris (mirum) poſt buſta reſurgit.
Tempore nuda ſuis foliis quoque fruticat arbor,
Cap. VI. Pomorumque iterum curuantur germine rami.
*Matth.24.* [6 Ad vocem ergo Dei mundo per cuncta tremente,
Et motis penitus virtutibus aeris alti,
Tunc fragor inſolitus, tunc maxime murmura cœli,
Aduenieñte Deo, totius iudice mundi.
Protinus innumeri concurrunt ire miniſtri,
Conuallantque Deum cum maieſtate ſuperna;
Angelica in terras deſcendent agmina cœlo,
Omnes, tuba Dei, quibus eſt diuina facultas,
Vultibus, & forma virtutis ſpiritus omnes.
Igneus his vigor eſt, rutilantia corpora, cœli
Vis diuina micat, hinc totus murmurat orbis,
Hinc trepidans penitus, vel quanta eſt, terra remugit,
Parturiens homines, quos reddere iuſſa decebit.
Omnes mirantur, turbantur denique, nimbi
Aſtraque mota pauent, ſubitæ virtutis ab alto.
Sic veniente Deo, ſonitus cum voce potentis,
Omnia continuo ruptis per regna ſepulcris,
Omnis humus latis effundit hiatibus oſſa,
Viuenteſque patens populos eructat harena,
Hærent membra comis, nectunturque oſſa medullis,
Conſertique regunt ſpirantia corpora nerui,
Et ſimul infuſo motantur ſanguine venæ,
Dimiſſiſque cauis, animæ redduntur apertis.
B Organa quæque ſua repetunt ſurgentia parte.
Proh, miranda fides, 7 hinc omnis pullulat ætas,
Pullulat antiquo mortuorum puluere turba,
Matres atque patres repetita luce reſurgunt,
Magnanimi iuuenes, pueri, innuptæque puellæ,
Defunctique ſenes animis viuentibus adſtant,
Infantumque gemens reſonat vagitibus orbis.
Tam variæ gentes venient de ſedibus imis,
Eoumque manus, & quas videt vltima tellus,
Quæque colunt medii deuexo in climate mundi,
Ryphæaſque tenent algentis ſideris arces.
Omnis adeſt, pauidus finis cuiuſque colonus,
Ruſticus, Atrides poſito diademate regni,
Pauperibus mixtus coæqualis in agmine diues.
Altus vbique tremor, precibus tunc ingemit orbis,
Tendenteſque manus populi clamore ſtupeſcunt.
[8 Ipſe ſedens Dominus, ſublimi lumine clarus,
Cap. VII. Atque potens cunctis micat in virtutibus ignis,
*Matth.24.* Excelſoque thronó cæleſti ſede coruſcat,
Martyribus ſeptus, numero candente virorum,
Dilectiſque ſuis comitatus vatibus exſtat,
Clara quibus niueis effulgent corpora ſtolis.
Iamque ſacerdotes nitidis in veſtibus adſtant,
*Apoc.4.* Geſtantes rutilas inſigni fronte coronas;
C Submiſſique omnes genibus veneranter adorant.
Hagie, hagie, ſancte Deus, vox omnibus vna eſt.
Hic Dominus geminam mandabit ſiſtere plebem,
Imperat & iuxta numerum diſcernere prauos,
Appellans placidis verbis ſua iuſſa ſequutos,
Indutoſque iubet, deuicta morte, vigorem,
Semper inextinctas habitare ad luminis auras,
Ire per antiquum ſemper florentia regna,
Promiſſas per opes, per ſemper amœna vireta,
Degere perpetuam præclaro in corpore vitam.
[9 Eſt locus Eois Domino dilectus in oris,
Cap. VIII. Lux vbi clara, nitens, ſpiratque ſalubrior aura,
Æternuſque dies, atque immutabile tempus,
Eſt ſecreta Deo regio, ditiſſima campis,
Atque beata nimis, ſudæque in cardine ſedis.
Aer lætus ibi, ſemperque in luce futurus,
Lenis & aſpirans vitalia flamina ventus.
Omnia fert fœcunda, ſolo prædiuite, tellus,
Flores in pratis fragrant, & purpura campis
Omnia prærutila miſcet non inuida luce.
Flos alium lætus ſuo lumine veſtit amictus,
Roſcidaque hic multo variantur ſemine rura,
Et roſeis niuea criſpantur floribus arua.
Neſcitur quibus vſque locis fœlicior aura,
D Quæ melior ſpecie, vel plus præcellat honore.
Talia florigeris numquam naſcuntur in hortis
Lilia, nec noſtris efflorent talia campis,
Nec ſic nata rubent, mox vt roſa panditur aura,
Purpura nec Tyrio ſic eſt intincta rubore.
Gemma coloratis fulget ſpecioſa lapillis,
*Gen. 2.* 10 Inde nitet praſinus, illinc carbunculus ardet,
Herboſaque viret prægrandis luce ſmaragdus,
11 Hic & odoriferis naſcuntur cynnama virgis,
Et ſpiſſo lætum folio conflagrat amomum.
Hic iacet ingenitum radiantis luminis aurum,
Et nemora alta tenent florenti tempore cælum,
Virenteſque grauant vberrima germina ramos.

Porrexit ſimiles non illis India lucos,
Non ita denſa leuat in monte cacumina pinus, E
Nec ſic alticoma eſt vmbra criſpata cupreſſus,
Nec vernus melius floret cum tempore ramus.
Hic abietes celſo florent in vertice nigræ,
Æternumque virent ſolæ ſine grandine ſyluæ.
Nulla cadunt folia, & nullo flos tempore deſit.
Flos quoque floret ibi rubeus, ceu purpura Tarſi,
Flos hic, credo, roſa eſt, rubor atque odor acer in ipſo,
Sic foliis ſpeciem præfert, ſic ſpirat odorem.
Arbos ſtat cum flore nouo, pulcherrima pomis,
Vitalem & frugem fœlicia robora denſant.
Mella viridanti conflagrant pinguia canna,
Lac etiam plenis manat potabile riuis,
Vitam aſpirat ibi quidquid pia terra vireſcit,
Et pulcre redolet munus medicabile Cretæ.
Fons illic placidis leui fluit agmine campis,
Quatuor inde rigant partitas flumina terras. *Gen. 2.*
Ver puto ſemper agit veſtitus floribus hortus,
Non frigus variat hiberni ſideris auram,
Et reficit fœtam, meliori flamine terram.
Nox ibi nulla, ſuas defendunt aſtra tenebras,
Iræque Inſidiæque abſunt & dira cupido, F
Excluſuſque metus, pulſæ de limine curæ.
Hic malus extorris, dignas exiuit in oras,
Nec vetitos vmquam datur huic contingere lucos,
Illic priſca fides electa in ſede quieſcit,
Inſiſtit gaudens æterno in fœdere vita,
Et ſecura ſalus placidis lætatur in aruis,
Semper victura, ſemperque in luce futura.
Hic quicumque pius, æquique bonique colonus,
Quique Deum metuit ſincera mente Tonantem,
Atque ſuos coluit ſacra pietate parentes,
Et degit reliquam ſemper ſine crimine vitam,
Aut inopem fidis opibus ſolatus amicum eſt,
Atque laboranti nimium ſubuenit egeno,
Pauperis adiutor, pupillorumque patronus,
Eruit innocuos, ſubuenit crimine preſſis,
Hoſpitibus largæ tribuit ſua pignora menſæ,
Omnia diuine geſſit, pia munera iuſſit,
Non alicui nocuit, non vmquam aliena cupiuit,
Iili exultantes diuinis laudibus omnes,
Hortanteſque ſimul referunt ad ſidera voces,
Pſallentes Domino celebrant per gaudia grates,
Innocuamque viam nunciis comitantibus ibunt.
[12 Hæc poſtquam Dominus fœlicia dona peregit,
Et pariter iuſtos æterna in regna remiſit, Cap. IX.
Tum miſeranda venit, lugens ſua crimina, turba, G
Effundit gemitus lacrymis arentibus omnes, *Matth.24.*
Et ſua teſtatur crebris vlulatibus acta.
Flammas pro meritis, ſtagnantia tela tremiſcunt.
Corripit angelicus cœtus, prohibetque precari,
Et prohibet ſeras clamando fundere voces,
Sublata venia fundum iaciuntur in imum.
O miſeri quoties maieſtas cognita vobis,
Audiſtis ſonitus, vidiſtis fulgura cæli,
Aſſiduas pluuias, ventorum & grandinis iras
Experti; quoties nocteſque dieſque ſereni
Tempora fœcundant pulcris Dei munera donis,
Vernabantque roſæ, frugum nec defuit æſtas,
Autumnus varie fundebat mollia poma,
Aſpera hiems quamuis glaciales fregit oliuas,
Cuncta Deus tribuit, bonitas nec defuit eius.
Terra Deum tremuit, pontus de voce pependit,
Et fluuius ſiccas trepidus refugit harenas,
Et genitura Deum quæuis per cuncta fatetur,
Vos miſeri Dominum cæli terræque negaſtis,
Præconeſque Dei (horrendum) ſæpe fugaſtis,
Et iuſtos potius crudeli cæde necaſtis,
Et fraus in vobis poſt crimen ſemper inhæſit.
Ergo ſementis fructum capietis iniquæ:
Noſcitis eſſe, Deumque tamen ridere ſoletis, H
Ibitis in tenebras ignis & ſulphuris altas,
Paſſuri ardentes iuſtas cruciatibus iras,
Æternæ Deus oſſa iubet deſcendere pœnæ.
Ire ſub ardorem rabidæ ſine fine gehennæ,
Vrgeri molem per ſtagna rotantia flammæ,
In flammamque iubet conuerti elementa minantem,
Atque omnem cœli deſcendere nubibus ignem.
[13 Tunc auidus rapido eſt incluſus tartarus igne, Cap. X.
Atque procelloſis flamma intus fluctuat vndis,
Totaque vertentes confundit terra fauillas.
Flammeus eſt ſulcus, dentes vertuntur acuti,
Omnibus & torrens armabitur igneus annis.
Impetu tartareo frendent incendia mundo,
Illic præcipiti curſu torrentur in æſtu,
Hinc fugiunt, illinc curſu referuntur acuto,
Obuia ſit ſæuæ flammæ fugientibus ira,
Agnoſcuntque ſuam iam tum de crimine pœnam.
Iamque vaga à nullo tellus poſſeſſa colono

Æquo-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A Æquoris extremo preſſa & ſub fine profundo,
Qua ſol emenſo radio diſterminat orbem,
Et qua tranſacto conduntur ſidera mundo:
Æther gliſcit, atris obſtruſa luce tenebris,
Vltima ſecretis ſtagnant flammantia riuis.
Eſt natura loci ſignatis ignea pœnis,
Inferniſque palus candens ardoribus atrox.
Intonat horrificis facinus pœnale caminis,
Æſtuat, & rapitur lato de vortice flammæ,
In tormenta ruens, fluctuque & gurgite ſæuo,
Turbida cœnoſo fundo miſcetur harena.
Huc captiua gemens mittetur turba malorum,
Arſurumque nefas, ſcelerati corporis agmen.
*Matth. 8.* Magnus plangor ibi, luctus ſociante boatu,
Et ſtridor rabidus, vlulatus & inde dolentum.
Exurgent flammæque procul, artuſque ſonori,
Ignis inardeſcet, gemituſque feretur ad auras.
Tunc humana, mali pendet commiſſa, propago,
Incipietque ſuas ad cœlum tendere palmas,
Et Dominum tunc noſſe volet, quem noſſe volebat
Antea non, quum noſſe illis foret vtile tempus:
Illic quiſque ſuæ profitebitur effera vitæ,
Iniuſtaſque manus, & ſæuæ crimina mentis,
B Horreſcetque ſuæ quæ nouerit impia vitæ.
Iam primum quicumque Deum male ſenſerit ante,
Et vaga mentito coluiſſet numine ſaxa,
Atque cruentiferis ſignis ſacrauerit aras,
Et picturatas timuit ſine voce figuras,
Ac falſi tenues veneratus numinis vmbras,
Et quoſcumque malus ſeduxit protinus error:
Siquis adulter erat, ſi natos enſe necarat,
Si raptor graſſatus erat, ſi fraude clientes
Diſtulerat, ſi mente parum verſatus amica:
Siue ſuas hominum macularat ſanguine palmas,
Miſcueratve latebroſa ſi morte venenum:
Aut ſi veſtitus ſcelerato pectora fuco,
Siue malo alterius, lucro & gaudebat iniquo:
Admiſit quicumque nefas quodcumque malorum:
Ingens ardor eum, atque ignis torquebit amarus,
Suppliciumque dabunt peracerbo funere cuncti.
Plurima ſic hominum mœrentum turba iacebit.
Cap. XI. [14 Hoc quoties olim ſancti cecinere Prophetæ,
Flatu & ſæpe Dei moniti dixere futura,
Nemo ſuas (miſerum) nemo eheu præbuit aures.
Sed Deus omnipotens voluit ſua præmia noſci,
Atque minas poſitæ per plurima talia legis.
C Mittendo ſtatuit plures, & verba ſonantes
*Matt. 23.* Diuina; excitoſque iubet prodire ſepulcris
Secum, quum fracto ſurrexerat ipſe ſepulcro.
Obſtupuere quidem plures, patuiſſe ſepulcra,
Et cerni in clara præmortua corpora luce:
Miratique pios ſermones, dulcia dicta,
Ipſa voce ſuas tendunt ad ſidera palmas,
Gratanturque Deo, & victori talia Chriſto.
Illos non tumulos certum eſt repetiſſe ſilentes,
Amplius aut terræ retineri viſcere clauſos:
*Apoc. 6.* 15 Relliqua ſed recubat nunc turba cubilibus imis,
Ille dies donec, completo tempore, magnus
Cap. XII. Adueniat. [16 Cuncti Dominum iam agnoſcite verum,
Qui ſolus facit hanc animam ſua cernere luce,
Eandemque poteſt in tartara ſubdere pœnis,
Et cui cuncta patet vitæ mortiſque poteſtas.
Poſſe Deum, nam velle ſat eſt, factumque loquendo
Implet, & obſtando plane nihil impedit illum.
Ille meus ſolus, cui credo ſenſibus imis.
At quoniam letho curſus concluditur omnis,
Quicunque hodie, ſecum putet omnia mente:
Atque ideo dum vita manet, dum cernere lucem,
Dum vitam mutare licet: quam terminus æui
Obruat incautos, & neſcia lumina ſoluat
D Vltimus ille dies, mortis quia lege tenetur:
Quod pretium ſupereſt, caræ inuigilate ſaluti,
Et faciles certique bonum decurrite curſum.
Abſtergete piis commiſſa piacula ſacris,
Atque vagas nimium mundi vitate procellas:
Tum rectas & adite vias, & ſancta tenete.
Hinc lætis animis prauum depellite crimen,
Et concreta diu proluatur pectore culpa
Commiſſaſque mali labes abolete nefandas,
Æterniſque Deum precibus placate tremendum.
Peſſima cuncta bonis cedant mortalia viuis,
Et ſeruate nouam iamiam ſine crimine vitam,
Incipiantque bonis veriſque aſſueſcere mentes,
Laudibus & faciles diuinis reddite voces.
Sic meliora piis flagrabunt omnia vobis,
Sic quoque cœleſtis capietis munera vitæ,
Cumque Deo longum ſemper viuetis in æuum,
Aurea ſiderei cernentes gaudia regni.

# ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN LIBRVM de Iudicio Domini. E

## CAP. I.

1. Quis mihi ruricolas, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De quatuor anni temporibus, & mundi totius fabrica. *Caſtigamus vero:* maturas meſſis ariſtas, *pro:* maturat.

## CAP. II.

2. Nunc age, &c.] *Capiti huic inſcriptionem dedimus:* De hominis formatione.

## CAP. III.

3. Immemor ille Dei, &c.] *Titulum huic capiti impoſuimus:* De hominis tranſgreſſione, & peccato originali, ac morte in poſteros transfuſa.

## CAP. IV.

4. Idcirco Dominus ſolus, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De iudicio cuiuſque hominis particulari. F

## CAP. V.

5. An Deus omnipotens, &c.] *Inſcriptionem huic capiti fecimus:* De reſurrectione mortuorum Deo non impoſſibili. *Quam probat exemplis:* granorum quæ mortua conſurgunt, *ſicuti eſt* 1. *Cor.* 15. occaſus & ortus ſyderum, diei ac noctis, *ſicuti etiam ſupra li. de Reſurr. carnis cap.* 12. *&* Phœnicis, *de qua ibidem c.* 13. *nu.* 104. 105. *&* 106. *Atqui cæſura ibi facienda:* alia atque alia dies ſurgit ab aſtris, *in voce:* dies.

## CAP. VI.

6. Ad vocem ergo Dei, &c.] *Huic capiti titulum dedimus:* De aduentu Domini, & omnium hominum comparatione ad Iudicium.

7. Hinc omnis pullulat ætas, &c.] *Eodem ſpectat quod ſubiicit Auctor:* pueri, *&c:*

Infantumque gemens reſonat vagitibus orbis.

*Sed ſane hæc intelligenda ſunt: quod nempe etiam* pueri *&* infantes reſurgent: *non tamen in eadem ætate, ſed (iuxta quod Apoſtolus ſcribit* Epheſ. 2.) in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. *Quia vnuſquiſque (inquit B. Auguſt l.* 22. *de ciuit. Dei c.* 15.) *ſuam recipiet menſuram corporis, quam vel habuit in iuuentute, etiamſi ſenex obiit, vel fuerat habiturus, ſi ante eſt defunctus. Ætas vero erit illa, ad quam peruenit Chriſtus, circa* 30. *annos.* G

## CAP. VII.

8. Ipſe ſedens Dominus, &c.] *Caput hoc inſcripſimus:* De verbis Iudicis ad iuſtos, quos ad vitam euocabit perpetuam, *Accipitur vero:* exſtat, *pro: ſupereminet. Caſtigauimus autem:* niueis effulgent corpora ſtolis, pro: telis.

## CAP. VIII.

9. Eſt locus Eois Domino dilectus in oris, &c.] *Inſcriptionem huic capiti fecimus:* Deſcriptio poetica Paradiſi, ſeu vitæ æternæ.

10. Inde nitet Praſinus, &c.] *Appellatur Plinio* Praſius, *ſiue vt Auctor:* Praſinus, *è gemmarum viridantium genere, lib.* 37. *cap.* 8. *at* Praſinus *colorem viridem ſignificat. De* carbunculo & ſmaragdo *vide ſupra lib.* 2. *adu Marc. c* 10. *nu.* 64.

11. Hic & odoriferis naſcuntur cynnama virgis, Et ſpiſſo læ tum folio conflagrat amomum, &c.] *Auctorem non modo in ceteris huius capitis, ſed maxime in hoc loco videtur imitatus Lactantius carmine de Phœnice, vbi dixit:*

Cynnama *dehinc, auramque procul ſpirantis* amomi
*Congerit.*— H

*De* Cynnamo *vero, ſiue Cynnamomo, vide Plinium l.* 12. *c* 19. *De* Amomo *eiuſdem l. c.* 13. *Emendauimus vero* virenteſque, &c. ramos *pro,* viuenteſque, *ſicuti poſt aliquot lineas:*

Et pulcre redolet munus mendicabile Cretæ,

*pro:* pulcræ redolent, *vbi adludit ad herbarum* Cretenſium *varia genera, quorum in medicinis vſus eſt precipuus, vtpote quod in ea inſula nullum venenatum naſcatur animal.*

## CAP. IX.

12. Hæc poſtquam Dominus, &c.] *Titulum huic capiti fecimus:* De verbis Iudicis ad impios ituros in ignem æternum. *Eſt autem & hic vox Tertullianica:* genitura, *pro generatione.*

## CAP. X.

13. Tunc auidus rapido, &c] *Caput hoc inſcripſimus:* De gehen

A næ deſcriptione. *Vbi Tertullianica ſunt*: facinus pœnale, *&*: mali pendet commiſſa, *pro exſoluet.*

CAP. XI.

14. Hocquoties olim, &c.] *Inſcriptionem huic capiti fecimus:* Quod olim hæc prædixerint Prophetæ, & qui cum Chriſto reſurrexerunt.

15. Reliqua ſed recubat nunc turba, &c.] *Quomodo ſimiles loci Auctoris adludentis ad cap. 6. Apoc. debeant intelligi, vide iter Paradoxa noſtra Prolegomena.*

CAP. XII.

16. Cuncti Dominum iam agnoſcite verum, &c.] *Huic capiti, quod ab hoc hemiſtichio auſpicamur, titulum impoſuimus*: Ad meliorem vitam metu Iudicii adhortatio. *Caſtigamus vero*: ſua cernere luce, *pro* ſuam cernere lucem. *Et more ſuo accipit Auctor*: quam, *pro antequam quum ſubiicit:*

- quam terminus æui,
Obruat incautos, & neſcia lumina ſoluat.
Vltimus ille dies- ; *vbi in eo quod ſequitur, emendamus*: mortis quia lege tenetur, *pro* qui. *Incipientes nouam periodum ibi:*
Quod precium ſupereſt, caræ inuigilate ſaluti; *quamquam vox* Precium, *corrupta ſit, niſi accipiatur pro precum.*

E

## ARGVMNETVM GENESEOS PER IACObum Pamelium.

PRIMA *quatuor Geneſeos capita Heroico carmine reddidit. Ceterum quamquam olim B. Cypriano in Operum eius Tomo tertio adſcribendum putauerimus, interea ſententiam mutare perſuaſit Sixtus Senenſis, qui Biblioth. ſuæ Sanctæ lib. 4. Tertulliano adſcribit* Sodomam *librum ſequentem, qui haud dubie eiuſdem cum hoc Auctoris eſt; maxime quum ſtylus magis ſit* Tertull anicus *quam Cyprianicus, & nuſquam B. Cyprianus inter* Poetas *Chriſtianos nominetur, præterquam à Fabricio, qui primus in lucem eius nomine ædidit. Si quis interim aliud ſentiat, per me licet, dummodo etiam inter Opera Tertullianivtrumque opus admittat.*

F

B

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, GENESIS.

Cap. I. *Gen. 1.* PRINCIPIO Dominus cælum terramque creauit:
Namque erat informis, fluctuq; abſcondita tellus;
Immenſuſque Deus ſuper æquora vaſta meabat,
Dum chaos & nigræ fuſcabant cuncta tenebræ,
Has dum diſiungi iuſſit de cardine, fatur.
*Lux fiat*; & claro nituerunt omnia mundo,
Quum Dominus primi compleſſet facta diei,
Condidit albentem nebulis naſcentibus axem,
Accipit immenſus verrentia littora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulua retexit,
Arida mox poſito narratur nomine terra,
Florea ventoſis conſurgunt germina campis,
Pomiferique ſimul procuruant brachia rami.
Quarta dies generat ſolis cum lampade lunam,
Et ſtellas tremulo radiantes lumine fingit;
Hæc elementa dedit ſubiecto inſignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
C At quincta accipiunt liquentia flumina piſces,
1 Et volucres varias ſuſpendunt aere pennas.
Sexta prægelidos in ſpiras lubricat angues,
Quadrupedumque greges totos diffundit in agros;
Cunctaque multiplici mandauit creſcere paſſim
Germine, & immenſis errare & paſcere terris.
Hæc vbi conſtituit diuina potentia iuſſu,
Rectorem inſpiciens mundanis defore rebus,
Hæc memorat: *Noſtris hominem faciamus ad vnguem*
*Vultibus adſimilem, toto qui regnet in orbe.*
Et licet hunc vno poſſet componere verbo,
Ipſe tamen ſancta dignatus ducere dextera,
Inſpirat brutum diuino à pectore pectus.
Cap. II. *Gen. 2.* [ 2 Quem poſtquam effigie formatum ceu ſua, vidit,
Metitur ſolum mordaces ſoluere curas.
Ilicet irriguo perfundit lumina ſomno,
Mollius vt vulſa formetur fœmina coſta,
Atque artus mixtu gemino ſubſtantia firmet.
Inditur & nomen vitæ, quod dicitur Eua.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Coniugibuſque ſuis poſitis cum ſedibus hærent.
Septima, quando Deus factorum fine quieuit,
Sacrata ſtatuens venturi gaudia ſecli:
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet, indit,
Adami à Domino donata prudentia ſolers.
Quem Deus alloquio, iunctam dignatur & Euam:
*Creſcite multimodo ventura in tempora partu,*
D *Vt polus & plenæ veſtro ſint germine terræ:*
*Hæredeſque mei, varios decerpite fructus,*
*Quos nemora & pingui reddunt de ceſpite campi.*
Hæc vbi diſſeruit, læta Paradiſus in aula
Inſtruitur, primique aſpectat lumina ſolis.
Gignitur hæc inter, pomis lethalibus arbos,
Coniunctum generans vitæ mortiſque ſaporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quod rigat inſignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidoſque ſecat, vndante ex fonte meatus.
*Phiſon* auriferis prædiues fluctuat vndis,
Conſpicuaſque terit rauco de gurgite gemmas:
3 Praſinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens,
Perſpicuuſque vadis terram prælambit Euilat.
Poſt hunc Æthiopas *Gæon* adlapſus opimat.
Tertius eſt *Tigris, Eufrati* adiunctus amœno,
Aſſyriam celeri diſcretim flumine ſulcans.
Hic poſitus cuſtos Adamus cum coniuge fida,
Atque opifex, tali formatur voce Tonantis:
Ne trepidate ſimul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonſum ramo frondente creauit;
Solliciti ne forte malum noxale legatis,
Quod viret ex gemino diſcreta ad munia ſucco.
Nec minus interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos nec veſtis taxerat artus.
[ Has inter ſedes, & baccis mitibus ortus, G Cap. III. Gen. 3.
Spumeus aſtuto vincens animalia ſenſu,
Serpebat tacite ſpiris frigentibus anguis;
Liuida mordaci voluens mendacia ſenſu,
Fœminio tentat ſub pectore mollia corda:
*Dic mihi cur metuas fœlicia germina mali?* Serpentis verba ad Euam.
*Numquid poma Deus non omnia nota ſacrauit?*
*E queis ſi ſtudeas mellitos carpere victus,*
*Aureus aſtrigero remeabit cardine mundus.*
Illa negat, vetitoſque timet contingere ramos;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora ſenſu.
Ilicet vt niueo iam mitia dente momordit,
Adfulſit nulla maculatum nube ſerenum.
Tum ſapor illecebram mellitis faucibus indens,
Compulit 4 inſueto munus deferre marito.
Quod ſimul ac ſumpſit, deterſa nocte nitentes
Emicuere oculi, mundo ſplendente, ſereni.
Ergo vbi nudatum proſpexit corpus vterque,
Quumque pudenda vident, ficulnis frondibus vmbrant.
Forte ſub occiduo Domini iam lumine ſolis
Agnoſcunt ſonitum, trepidique ad deuia tendunt.
Tum Dominus cœli mœſtum compellat Adamum:
*Dic vbi nunc tegas?* Reſpondit talia ſupplex:
O Domine, adfatus pauido ſub corde tremiſco
Magne tuos, nuduſque metu frigente fatigor.
Tum Dominus: Quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit lumina promptim
Candenti perfuſa die, liquidumque ſerenum
Adfulſiſſe ſibi, ſolemque & ſidera cœli. H
Protinus ira Dei turbatam territat Euam,
Auctorem vetiti dum quærit maximus acti.
Illa ſub hæc pandit: Serpentis ſuaſa loquentis
Accepi, fallente dolo, blandoque rogatu,
Nam ſua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narrauit dulcia pomis.
Ilicet omnipotens condemnat geſta draconis,
Præcipiens cunctis inuiſum viſere monſtrum,
Pectore mox fuſo prorepere, tum ſola morſu
Mandere; manſuro quæcunque in tempora bello,
Humanos inter ſenſus, ipſumque labantem;
Vertice vt abiecto pronus poſt crura virorum
Serperet, vt calcet dum labens comminus inſtat.
Fœmina fraudigeris miſere decepta loquelis,

A P ræcipitur duro diſcrimine ponere partum,
Seruitiumque ſui ſtudio perferre mariti.
Tu vero cui viſa fuit ſententia verax
Coniugis, immitti ceſſit quæ victa draconi,
Deflebis miſerum per tempora longa laborem,
Nam tibi triticeæ ſurget pro germine meſſis
5 Carduus, & ſpinis multum paliurus acutis:
Vt cum viſceribus laſſis & pectore mœſto,
Plurima ſollicitos præſtent ſuſpiria victus:
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Vnde geris corpus, terræ reddare iacenti.
Hic actis, Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Deiectoſque procul ſacratis dimouet hortis,
Obuerſoſque locat, medioque eliminat igni,
In quo per celeri Cherubin euoluitur æſtu,
Dum calidus deferuet apex, flammaſque volutat.
Queis Dominus, pigro ne frigore membra rigerent,
Conſuit euulſas pecudum de viſcere pelles,
Operiens nudos calidis de veſtibus artus.
Cap. IV. [ Ergo vbi coniugio ſeſe iam fidus Adamus
Eſſe virum ſenſit, nomen genitricis amatæ
Exhibet vxori. Bino qui germine factus
Continuo genitor, diuerſis nuncupat orſis:
Atque Cain hic nomen habet, cui iunctus Abelus.
Innocuas huius ſeruabat cura bidentes,
Aſt alius curuo terram vertebat aratro.
Hi quum perpetuo ferrent ſua dona Tonanti,
B Diſſimiles fructus ſenſu ſuadente dedere.
Nam prior vberibus fuerant quæ proſata glebis,
Obtulit, aſt alius miti ſe deuouet agno,
Exta manu ſincera gerens, adipemque niualem,
Confeſtimque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira.
Quem Deus adloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, ſi rectum viuas, & noxia cernas,
Degere non poſſis contracto à crimine purus?
Deſine mordaci fratrem diſperdere ſenſu,
Qui tibi ceu Domino ſubiectus colla daturus,
Nec tamen his fractus, fratrem deducit ad arua,
Atque vbi deprenſum deſerto in gramine vidit,
6 Elidit geminis frangens pia guttura palmis.
Quod factum Dominus cœlo ſpeculatus ab alto,
Diſquirit, quonam terrarum degat Abelus?
Ille negat poſitum cuſtodem ſe fore fratris.
Cui Deus effatur: Numnam vox ſanguinis eius
Ad me miſſa ſonat, celſumque aſcendit ad axem?
Noſce igitur manſura tibi pro crimine tanto,
Nam modo quæ maduit germani ſanguine terra,
Inuiſo maledicta tibi commiſſa negabit
Semina, & adſumptis fructum non proferet herbis,
7 Torpidus vt multo collidens membra tremore.

C
## ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN GENESIN.

### CAP. I.

1. Et volucres varias ſuſpendunt aëre pennas, &c.] *Retinuimus hanc caſtigationem pro coniectura Cauchij, ex aditione priori inter Opera B. Cypriani, pro:* corpore.

### CAP. II.

2. Quem poſtquam effigie formatum, ceu ſua, vidit, &c.] *Inter cetera id eſt Tertullianicum, quod litteram a. in Ablatiuis, ſicut hic in voce* ſua, *corripiat.*

3. Praſinus huic nomen, illi eſt carbunculus ardens, &c.] *Vel hinc patet eiuſdem eſſe Auctoris hunc librum cum præcedenti, quippe vbi legatur, quum de Paradiſo, ſicut hic agit, ca.* 8.
Inde nitet Praſinus, illinc carbunculus ardet.
*Atqui vtrobique ſequitur æditionem* LXX. *Gen.* 2. *apud quos commemoratur inueniri* carbunculus, *Græce* ἄνθραξ, *& lapis* Praſinus, *Græce* ὁ λίθος ὁ πράσινος. *Pro quibus ex Hebræo & Chaldæo tranſtulit B. Hier.* Bdellium, & lapidem Onychinum.

### CAP. III.

4. inſueto munus deferre marito, &c.] *Sic iterum legimus, pro:* inſuetum, *quod cum Cauchio caſtigaueramus, & ſicut inter opera B. Cypriani:* tum ſola morſu Mandere, *pro:* Pandere. *Eſt autem rurſum Tertullianicum illud intermedium:* Quis poma dedit noxalia vobis?

5. Carduos & ſpinis multum paliurus acutis, &c.] *Hoc quoque eſt Virgilianum Eclog.* 5. *eſt vero etiam rubi genus* paliurus *Plinio li.* 24. *ca.* 13.

### CAP. IV.

6. Elidit geminis frangens pia guttura palmis, &c.] *Emendauimus ex coniectura:* frangens, *pro:* fraudans, *& mox iuxta Morelium:* cœlo ſpeculatus ab alto, *pro:* celſo.

7. Torpidus vt multo collidens membra tremore, &c.] *Sicuti etiam nuper adnotauimus, quum prorſus mutilus ſit finis huius carminis, apparet cetera quoque Geneſeos capita ad euerſionem vſque Sodomæ ab Auctore conuerſa.*

## ARGVMENTVM IACOBI PAMELII IN SODOMAM.

*PVLCRE & late integram hiſtoriam euerſionis Sodomæ proſequitur.*
*Ceterum ſicuti ſupra quoque dictum eſt, præterquam quod Sixtus Senenſis nominatim adſcribat hunc librum Tertulliano, etiam phraſeis quædam & loci plures ſunt Tertullianici, ſicuti infra adnotauimus.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, SODOMA.

Ca. I. Gen. 17. IAM Deus omnipotens primæui tempora ſecli,
1 Vindice diluuio, cunctis aboleuerat vndis,
Quas cœlum ſparſit terræ, maris exſpuit æquor,
Hactenus, haud liquido pœnas decernere pactus
Excidio, quoties hiemes induceret aer,
Frenandis varium pluuius mandauerat arcum,
Ca. II. Purpureo & viridi ſignantem nubila limbo,
Gen. 18. Iridis huic nomen, propria eſt quæ fibula nimbis,
D [ Sed recidiua hominum pariter cum gente ſecunda
Impietas, iterumque mali noua pullulat ætas,
Excidio iam non imbres ſortita, ſed ignes.
Sic Sodomum meruit tellus 2 ardentibus vri
Flammis, & finis portendere ſigna futuri.
Effera luxuries illic, inimica pudoris,
Inſtar legis erat, fugeret quam præſcius hoſpes,
Ante vel ad Scythicas, vel apud Buſiridis aras
Exoptans per ſacra necem: cæſuſque cruorem
Fundere Bebrycium, & Lybicas ſatiare palæſtras,
Anteque vel Circæa nouas per pocula formas
Sumere, quam læſum Sodomis amittere ſexum.
Pulſabant cœlum inuidia, connubia mixta
Inceſtu parili, generis natura rebellis
In ſeſe, læſumque viri cum corpore nomen.
Tempore ſed certo Deus omnia perſpeculatus,
Iudicat iniuſtos patiens, vbi criminis ætas,
Ceſſandi ſpatium vis nulla coegerit iræ.
Iamque dies vltrix aderat, duo de grege miſſi
Angelico, forma iuuenes, qui ſpiritus ambo Gen. 19.
Diua miniſterio Domini mandata ferebant, H
Succedunt Sodomis, illic de ſtirpe piorum
3 Tranſuena Loth aderat, ſapiens, iuſtique colonus,
Vnus erat, meminiſſe Deum, ſolet vtilis arbor
In ſyluis latitare feris velut, hoſpita fructu.
Is tunc pro porta reſidens (vix mœnia adibant
Cœlicolæ) quamquam diuinos neſcius, vltro
Aduocat, appellat, patrio veneratur honore,
Hoſpitioque vocat, longe ſtabulare parantes,
Eniſus longis precibus, pia pignora menſa
Officiiſque probis ſtudio diſpungit amicos.
Nox requiem dederat; lux ſoluerat altera noctem,
Et Sodoma in foribus ſtrepitat conqueſta rudendum.
Loth contra ſupplex: Ne vos nunc pacta libido



UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A Incendat, iuuenies, ipſam fœdare iuuentam?
Quo luxus genitura vocat? quo ſemina fruſtra?
Quo nullæ nuptant animæ, non luſtra eolentes,
Non ſtabulis reduces, non vndis ſubter hiantes,
Nec quæ pennarum modulis prope nubila pendent,
Nec quæ per terram protracto corpore manant.
Omne genus, luxu genus eſt: ſed fœmina coniux
Omnibus, & numquam cuiquam niſi fœmina mater.
Nunc ſi fas iuuenilis habet vaſtare pudorem,
Sunt intus natæ biiuges mihi, nubilis ætas,
Virginitas in flore tumet, iam dedita meſſi,
Digna cupido viris, tulerit quam veſtra voluptas?
Cedo pater, proque hoſpitibus penſabo dolorem.
Vulgus ad hæc demens: Quiſnam tu, quantus, & vnde?
Qui nobis dominetis, ait, legeſque recondas,
Traſuena, corrector Sodomorum? duplicat iras:
Nunc igitur tute ipſe lues, quod noſtra cupido eſt,
Pro natis, proque hoſpitibus, ſatis vnus in omnes.
Dicta & facta ſimul, vulgi mora nulla furentis.
Turbidus hiberno vt dum voluitur impete torrens,
Riuorum numeros vno pede fertur in omnes:
Si qua illic arbor rapidis offenditur vndis,
Haud manſura diu, quantum radice licebit
Crinitas durare moras, vbi ſubter adeſam
B Perdit humum circumfoſſo cum caudice pendens,
Huc illuc certam differt incerta ruinam,
Haud aliter Loth in media vertigine vulgi,
Nutabat vinci prope iam, ſed diua poteſtas
Subuenit, angelici iuuenes de limine raptum
Reſtituunt tectis, demens ſed vulgus ibidem
Pœnarum auſpiciis multatur lumine diro.
Cap. III. Ibidem. [ Tunc decreta Dei referant, dignam adfore pœnam
De cœlo Sodomis, ipſum meruiſſe ſalutem
Iuſtitiæ titulo. Quin ergo accingeris iſthinc
Feſtinare fugam, pariterque educere, ſi quid
Gentis habes? nos exitium iam inducimus vrbi.
Loth generos citus adloquitur, ſed dura hominum mens
Credere deſpexit monitum, riſitque timorem.
Tempore mox quo lux tenebras conſcendere tentat,
Et bicolor cœli facies de nocte dieque eſt,
Inſtabant iuuenes Chaldæam educere gentem
Ex Sodomis, iuſtamque domum donare ſaluti:
Eia age Loth, exſurge, tuamque adſume iugalem,
Et natas duplices, atque hinc exterminus ito,
Præueniens Sodomum pœnas (manibus quoque amicis
Producunt trepidos) atque hæc tibi cetera mando,
C Serua Loth animam, ne viſum in terga retrorſum
Vertere forte velis, cœptum vel ſiſtere greſſum,
In montem propera. Timuit Loth ardua tardo
Ereptare gradu, cœleſtes ne prius iræ
Opprimerent, alios igitur depoſcere portus
Adgreditur, paruam quam contra aſpexerat vrbem.
Huc, inquit, contendo fugas, vix mœnibus exſtat,
Nec longe, nec magna. Illi fauere petenti,
Vrbis & ipſius pariter geſſere ſalutem.
Inde Segor vico nomen vox barbara nouit.
Tunc Loth ingreditur Segor, ſimul exoritur ſol,
Vltimus ille quidem, in Sodomamque incendia feruens
Infert, nam totos radios armauerat igni,
Æmuia ſubſequitur caligo 4 includere lucem
Cœptans, atque globos confuſo intexere cœlo,
Fumantes coeunt nubes, nouus irruit imber,
Sulphura cum flammis flagrantibus æſtuat æther,
Exuſtus crepitat liquidis ardoribus æther.
5 Hinc habet in falſo de vero fabula famam,
Solis progeniem currus optaſſe paternos,
Nec valuiſſe leuem puerum frenare ſuperbos
Ignis equos, arſiſſe orbem, tunc fulmine raptum
Aurigam, illicitum planctum mutaſſe ſorores.
D Viderit Eridamus, ſi qua illic populus albet,
Aut ſi quis plumat ſenio modulatior ales.
Hic aliter verſæ mœrent miracula formæ.
Namque comes coniux, heu me, male tum quoque legis
Fœmina non patiens, diuina ad murmura cœli
Audaces oculos nequicquam ſola retorſit,
Nec habitura loqui quod viderit, & ſimul illic
In fragilem mutata ſalem, ſtetit ipſa ſepulcrum,
Ipſaque imago ſibi formam ſine corpore ſeruans.
6 Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram,
Nec pluuiis dilapſa ſitu, nec diruta ventis.
Quin etiam ſiquis mutilauerit aduena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet.
Dicitur & viuens alio iam corpore, ſexus
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.
Cap. IV. [ Nuſquam ſunt Sodomi, nuſquam illorum impia lucent
Mœnia, cum dominis domus omnis inops ita nuſquam,
Tota rogus regio eſt, hinc atro horrore fauillæ,
Hincque ſitu cano cineres incendia ſignant.
7 Occidit illa prior feritas, quam proſpiciens Loth
Nullus arat fruſtra piceas fuligine glebas.
Semiperempta etiam ſi qua illic iugera, lætas
8 Autumni conantur opes, facile optima ſeſe
Promittunt oculis, pyra, perſica, & omnia mala, E
Donec carpuntur, nam protinus indice tactum
Soluitur in cinerem, fit vana fauillaque pomum.
Sic igitur cœlo pariter terraque ſepultis,
Nec mare viuit ibi, mors eſt maris illa quieti,
9. Quod nullus animat per anhela volumina fluctus,
Quodque etiam patrio numquam ſuſpirat ab auſtro,
Quodque nequit proferre aliquam de gurgite gentem
Squamigeram, læuive cuti vel cortice ſeptam,
Vel criſpam concham, aut duplici compagine clauſam.
10 Solum illic propria mentitur fruge bitumen,
Exuſti fuligo maris, quod viuidus ardor
Subter ſtagna coquens, de ſulphuris & ſalis æſtu
Temperat, inque picem dat terræ hærere marinam.
Inuehitur proprio cum tempore pingue crematæ.
Virus aquæ, ſpumiſque cutis ſuper æquora nigra
Texitur, appellunt queis eſt ea captio mercis,
Adclinant leues laterum liberamine lembos,
Vt ſemel impoſitam doceant conſcendere venam.
Nam ſe ſponte leuans adnabit mercis ad ora
Nauigii, preciumque dabit pro munere largo,
Ni plaga contigerit, quam menſis fœmina veſtit.
11. Ecce aliud monſtrum pelagi de clade notatur,
Cuncta illic immiſſa natant, natura receſſit
Mergendis data corporibus, ſi denique teſtæ F
Luciferam narem inſiſtens, qua ſpiritus igni eſt,
12. Velſicauit apex, flammæ ſi flamma perempta eſt,
Ibit ſubter aquas deſtructio naufraga lucis.
Hæ Sodomum & Gomorum ſignatæ in ſæcula pœnæ,
Gentibus iniuſtis, queis pectora dura timorem
Deſeruere Dei, de cælo iura tueri,
Inque vnum rerum Dominum ſpectare docebunt.

## ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN SODOMAM.

### CAP. I.

1. Vindice diluuio, &c.] *Sic caſtigauimus ex Morelio, pro:* Indice, *& paulopoſt:* non imbres ſortita, ſed ignes, *pro:* imbrem.

### CAP. II.

2. ardentibus vri flammis, &c.] *Id retinuimus pro:* facibus, *aut quod conijciebat Cauchius legendum*, faſcibus. *Ibi vero:* vbi criminis ætas, *videtur deeſſe verſus aliquis.* G

3. Tranſuena Loth aderat, &c.] Tranſuena *& hic & paulopoſt vox Tertullianica, pro: Aduena. Eſt & Græciſmus etiam illi vſitatus non ſemel:* vnus erat meminiſſe Deum, *item,* conqueſta rudendum, *ſic enim lego cum Morelio, pro:* rudendo, *item:* pacta libido, *& ibi:* Quo luxus genitura, *pro generatio. Siue autem legas:* Cedo pater, *ſiue:* Dedo, *perinde eſt.*

### CAP. III.

4. includere lucem Cæptans, &c.] *Sic caſtigauimus ex Morelio.*

5. Hinc habet in falſo de vero fabula famam, &c.] *Pulcre rationem reddit fabulæ Poeticæ de Phaëonte in Eridano lapſo, quo fit vt caſtigauerimus:* de vero, *pro:* verbo, *&:* viderit Eridanus, *pro:* videris heu dirum. *Nam non modo B. Cypriano, ſed antea tum Tertulliano eſt vſitatiſſima vox:* viderit. *Emendauimus etiam ex Morelio:* heu me, male tum quoque legis Fœmina non patiens, *pro:* heu lethum, metuque legis.

6. Durat adhuc etenim nuda ſtatione ſub æthram, &c.] *Hoc memoratu dignum, quod ſua adhuc ætate ſtatuam illam ſalis, in quam vxor Loth conuerſa eſt, duraſſe ſcribat, & ſiquis eam mutilauerit ſtatim vulnera denuo compleri, & in ſingulos menſes menſtrua pati. Hoc eſt enim quod phraſi Tertullianica dicitur (non modo Cyprianica)* diſpungere *(quod prorſus legimus, pro:* depungere*)* ſanguine menſes, *Eſt etiam vox Tertullianica:* ſuggeſtu *paulo ante.* H

### CAP. IV.

7. Occidit illa prior feritas, quam proſpiciens Loth, &c.] *Obſcurus verſus, vbi ſi* feritas *pro fertilitate accipiatur ratione carminis, conſtabit ſenſus, vti* feritas *à ferendo dicatur: vox eo ſignificatu nunc obſoleta.*

8. Autumni conantur apes, &c.] *Etiam iſtud Tertullianicum eſſe, ſupra alicubi in Apologetico adnotauimus. Emendauimus vero:* optima ſeſe Promittunt oculis, *ex Morelio, pro:* eſſe ſe opima, *item* & omnia mala, *pro:* mella, *vt accipiatur pro omni pomorum ſeu fructuum genere, &:* indice tactum, *pro:* tactu.

9. Quod nullus animat per anhela volumina fluctus, &c.] *Sic etiam ex Morelio, pro eo quod ſubſtituerat Fabricius tanquam elegantius:* Idque animat nullus. *nam vt s in fine dictionis producatur,*

etiam

A *etiam Tertulliano libris præcedentibus vſitatum eſt. Similiter emendauimus*: Quodque nequit, *pro* cauet.

10. Solum illic propria mentitur fruge bitumen, &c. ] *De bitumine ex lacu Aſphaltite, vide Ioſephum libr. de bello Iudaico cap. 5. Legimus etiam cum Morelio*: crematæ Virus aquæ, *pro* crematum. *Magis etiam placet.*

Vt ſemel impoſitam doceant conſcendere venam,

*quam*: impoſita, *&c.* vena. *Maluimus etiam legere*: adnabit mercis ad ora Nau gii, *quam*: inertis ad ora Nauigii. *Hoc enim ſignicat* mercem bituminis *ita adhærere nauigiis, vt ſolui non poſſit niſi menſtruo fœmineo, ſicuti etam teſtatur Ioſephus loco citato.*

11. Ecce aliud monſtrum, &c. ] *Aliud miraculum narrat, quod* cuncta illic immerſa natant.

12. Velificauit apex, &c. ] *Cauchius cenſet legendum*: velificabit, *ſed æque obſcurum eſt, quid ſibi velit Auctor. Atqui etiam hic phraſis eſt Tertullianica, Haud aliter enim dixit ſupra Tom. 3, libr. aduerſ. Gnoſt. cap. 1. de Scorpio loquens*: Auſtro & Africo ſæuitia velificat. *Nam pro vela facere vtrobique dixit*: velificare. *Denique iuxta Morelium legimus*: pectora dura *pro* corpora.

E

# ARGVMENTVM
## LIBRI AD SENATOREM EX CHRISTIANA RELIGIONE AD Idolorum ſeruitutem conuerſum, per Iacobum Pamelium.

SENATOREM *grauiter increpat, quod antea Chriſtianus & Conſul, Iſidis ſeu Matris Deûm ſacerdos fieri non ſit veritus; hortatur itaque, vt ſaltem in ſenectute reſipiſcat. Porro quum etiam hic quædam ſint Tertullianica, ego illi adſcribere malui quam B. Cypriano.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS
## TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, AD SENATOREM EX CHRISTIANA RELIGIONE ad Idolorum ſeruitutem conuerſum.

F

B

Cap. I.

QVVM te diuerſis iterum vaniſque viderem
Inſeruire ſacris, priſcoque errore teneri;
1 Obſtipui monitus; quia carmina ſemper amaſti,
Carmine reſpondens, properaui ſcribere verſus;
Vt te corriperem, tenebras præponere luci.
Quis patiatur enim, te Matrem credere magnam
Poſſe Deam dici, rurſuſque putare colendam,
Cuius cultores infamia turpis inurit?
2 Namque ſacerdotes tunicis muliebribus iidem
Interius ritum cultu interiore fatentur;
Idque licere putant, quod non licet; vnde per orbem
Leuiter incedunt, mellita voce loquentes,
Lapſatoſque tenent extenſo pollice lumbos,
Et proprium mutant vulgato crimine ſexum.
Cumque ſuos celebrant ritus, 3 his eſſe diebus
Se caſtos memorant, at ſi tantummodo tunc ſunt,
Vt perhibent, caſti; reliquo iam tempore quid ſunt?
Sed quia coguntur ſaltem ſemel eſſe pudici,
Mente fremunt, lacerant corpus, funduntque cruorem.
Quale ſacrum eſt vero, quod fertur nomine ſanguis?

Cap. II.

C

[ Nunc etiam dicis, quod te non fecerit ætas,
Sed tua relligio caluum, 4 caligaque remota
Gallica, ſit pedibus molli redimita papyro.
Res miranda ſatis deiectaque culmine ſummo.
Si quis ab Iſiaco Conſul procedat in vrbem,
Riſus oris erit, quis te non rideat autem,
Qui fueris conſul, nunc Iſidis eſſe miniſtrum?
Quodque pudet primo, te non pudet eſſe ſecundo;
Ingeniumque tuum turpes damnare per hymnos,
Reſpondente tibi vulgo & lacerante Senatu:
Teque domo propria pictum cum faſcibus ante,
Nunc quoque cum ſiſtro faciem portare caninam.
Hæc non humilitas, ſed humilitatis imago eſt.
Ædibus illa tuis ſemper monumenta manebunt.
Rumor & ad noſtras peruenit publicus aures,
Te dixiſſe: *Dea erraui, ignoſce, rediui.*
Dic mihi ſi valeas, quum talia ſæpe rogares,
Et veniam peteres, quæ tecum verba locuta eſt?
Vere mente cares, ſequeris qui mente carentes.
Hæc iterum repetis, nec te delinquere ſentis.
Quid mereare vide, minus eſſes forte notandus,
Si tantum hoc ſcires, & in hoc errore maneres.
At quum vericolæ penetraueris oſtia legis,
Et tibi noſſe Deum paucis acceſſerit annis;

D

Cur linquenda tenes, aut cur retinenda relinquis?
Nilque colis, dum cuncta colis, nec corde retractas,
Vera quid à falſis, quid ab vmbris lumina diſtent.
Philoſophum fingis, quum te ſententia mutet,
Nam tibi ſi ſtomachum popularis mouerit aura,
Et Iudæus eris, totuſque Incertus haberis.
Indulge dictis, ſapientia non placet alta,
Omne quod eſt nimium, contra cadit, vnum operantur
Et calor & frigus, ſic hoc, ſic illud adurit,
Sic tenebræ viſum, ſic ſol contrarius aufert,
Et pariter lædunt gelidum feruenſque lauacrum;
Eſca alitur corpus corrumpitur eſca;
Vimque ſuam minuit, ſi quid protenditur vltra.
Denique ſi ſedeas, requies eſt magna laboris,
Si multum ſedeas, labor eſt. Maro namque Poeta
Pro pœna poſuit; 5 *ſedet, æternumque ſedebit*
*Infœlix Theſeus*; ſemper nocet vtile longum;
Prandia longa nocent, ieiunia longa fatigant;
Sic nimium ſapere ſtultum facit improba ſecta.
Me dea ſic docuit, moderamen amabile, dixit.
Sed tu nec ſectam modo, nec moderamina curas;
Mens autem ſtabilis nullo peruertitur æſtu,
Ipſaque ſimplicitas numquam mala cogitat vlla.
Hinc ſincera fides æterna fide fruetur,
Et contra dolus longo cruciabitur igni.
Elige quid velis, vt digna piacula vites.
Sic tamen hanc veniam mereatur creditor inquam;
Vt leue crimen erit, ſi nolis noſcere vera,
Non leue crimen erit, ſi cognita vera relinquas.
Sed te correctum forſan matura ſenectus
In melius reuocat ſatiatum erroribus iſtis;
Tempus enim mutat mala, digerit omnia tempus.
Tunc igitur cum te conſulta reduxerit ætas,
Diſce Deo ſeruare fidem, ne forte bis vnum
Incurras lapſum, quia vere dicitur illud:
*Qui pedis offenſi lapidem vitare ſecundo*
*Neſcit, & incautus iterum vexauerit artus;*
*Imputet ipſe ſibi, nec caſibus imputet vllis.*
6 Corrige delictum fidamine, corrige mentem.
Suffecit peccare ſemel, deſiſte vereri;
Non erit in culpa?quem pœnitet ante fuiſſe.

G

# ADNOTATIONES IACOBI PAMELII IN CARMEN AD Senatorem.

### CAP. I.

1. Obſtipui monitus, &c. ] *Eſt hæc praſis non modo Cyprianica, qua alibi dixit*: mens obſtipuit, *ſed & Tertullianica, ſicuti ſupra videre eſt lib. de Iudic. Domini, cap.* 11 *vbi legitur*:

Obſtipuere quidem plures, patuiſſe ſepulcra.

*Caſtigamus autem* monitus, *pro* motus.

H

2. Namque ſacerdotes, &c. ] *Emendauimus*: iidem, *pro* idem, *& paulopoſt*: reliquo iam tempore quid ſunt, *pro* corpore. *Atqui de ſacerdotibus Iſidis & ipſa Iſide, ſupra non ſemel ſatis dictum eſt. Hic illis tribuit* tunicas muliebres, mutatum ſexum, lacerationem corporis, *ac*: fuſionem cruoris, caluitiem, & pedes Gallicana papyro redimitos, *denique* cum ſiſtro faciem caninam.

3. his eſſe diebus ſe caſtos memorant, &c. ] *De* Caſtis *Iſidis ſacris, vide infra Tertullianum Tom. 5. libr. de Ieiuniis adu. Pſychicos. Eſt autem etiam ille verſus obſcurus, & forte mendoſus.*

Quale ſacrum eſt vero, quod fertur nomine ſanguis?

### CAP. II.

4 caligaque remota, &c. ] *De* militia caligata, *vide ſupra To. 2. li. de Idolol. cap. 19. num. 147. Atqui corripitur etiam in Ablatino qui ſequitur*:

Gallica, ſit pedibus molli redimita papyro.

*Caſtigamus vero recens*: Conſul procedat in vrbem, *pro* orbem. *Et mox*: Hæc non humilitas, *pro* Hæc tua humilitas.

5. Sedet

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

A. 5. Sedet, æternumque ſedebit Infœlix Theſeus, &c.] *Iſtud Virgilianum eſt ex 6. Æneidos. Prorſus autem lego*: nec caſibus imputet vllis.

6. Corrige delictum fidamine, &c.] Fidamen *pro fiducia ſeu ſpe, magis hauddubie Tertullianicam phraſin ſapit, quam Cyprianicam.* E

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, GRÆCORVM OPERVM FRAGMENTA ET Notulæ, cum Adnotationibus Iacobi Pamelij.

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, APOLOGETICI ADVERSVS GENTES PRO CHRISTIANIS GRÆCI, Fragmenta, ex Euſebio Cæſarienſi, cum translatione triplici.

B

### *Præfatiuncula in Fragmenta Græca Apologetici.*

TERTVLLIANI Apologeticum aduerſus Gentes, vti paraphraſticōs vertit Rufinus, ſiue pro Chriſtianis, vti ad verbum ex Græco tranſtulerunt Chriſtophorſonus apud Euſebium, & Langius in Nicephoro, Latine conſcriptum fuiſſe, ſed in Græcum ſermonem translatum, diſertis verbis Euſebius & Nicephorus adfirmant; an vero id ab Auctore ipſo, an alio quouis factū ſit non ſatis conſtat, quamquā priori ſentētiæ magis faueat, quod etiam alios quoſdam libros Latine & Græce conſcripſerit. Quo fit, vt operæ pretium duxerim, ſeparatim Fragmenta Græca publicare; eaque ad maiorem intellectum cum verſione triplici; Euſebii quidem Interpretum duorum, Rufini & Chriſtophorſoni; Nicephori vero, qui ad verbum ex illo hæc deſcripſit, Langii. F

### Ex Apologetici Cap. II. iuxta Euſebium Eccleſ. hiſtor. lib. 3. cap. 33. ſeu 27. & Nicephorum lib. 3. cap. 17.

C

Τερτυλλιανὸς ἐν τῇ ἀπολογίᾳ ὑπὲρ χριστιανῶν.

* ἐπαρχίας. Καίτοι εὑρήκαμεν καὶ τὴν εἰς ἡμᾶς ἐπιζήτησιν κεκωλυμένην. Πλίνιος γὰρ ὁ Σεκοῦνδος ἡγούμενος τῆς *ἐπερχίας, κατακρίνας χριστιανούς τινας, καὶ τῆς ἀξίας ἐκβαλὼν, ταραχθεὶς τῷ πλήθει, διηγνόει τί αὐτῷ εἴη πρακτέον. Τραιανῷ οὖν τῷ βασιλεῖ ἀνεκοινώσατο, λέγων ἔξω τοῦ μὴ βούλεσθαι αὐτοὺς εἰδωλολατρεῖν, οὐδὲν ἀνόσιον ἐν αὐτοῖς εὑρηκέναι. ἐμήνυε δὲ καὶ τοῦτο. ἀνίστασθαι ἕωθεν τοὺς χριστιανοὺς, καὶ τὸν χριστὸν, θεοῦ δίκην, ὑμνεῖν. καὶ πρὸς τὸ τὴν ἐπιστήμην αὐτῶν διαφυλάσσειν, κωλύεσθαι φονεύειν, μοιχεύειν, πλεονεκτεῖν, ἀποστερεῖν, καὶ τὰ τούτοις ὅμοια. πρὸς ταῦτα ἀντέγραψε Τραιανὸς, τὸ τῶν χριστιανῶν φῦλον μὴ ἐκζητεῖσθαι μὲν, ἐμπεσὸν δὲ κολάζεσθαι. G

Rufini.

Perſecutionum vero extrinſecus pondus vrgebat Eccleſiam, & tam immenſæ cateruæ Martyrum quotidie iugulabantur, vt Plinius Secundus, qui tunc prouinciam adminiſtrabat, multitudine interemptorum permotus, referret ad Imperatorem, quod innumera hominum milia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino ſceleris deprehenderetur admiſſum, aut aliquid contrarium humanis legibus geſtum, niſi hoc ſolum, quod antelucanos hymnos Chriſto cuidam canerent Deo. Adulteria vero, vel cetera huiuſmodi crimina apud eos & illicita haberi, & penitus arceri; cetera vero ſecundum leges eos agere communes. Ad quæ tunc Traianus Reſcripti ſui auctoritate decernit, vt Chriſtiani quidem non requirantur; ſi qui tamen inciderint, puniantur. Per quod ex parte aliqua perſecutionis ſedatum putabatur incendium.

D

Chriſtophorſoni.

Atqui inuenimus, inquiſitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus, quum prouinciam regeret, damnatis quibuſdam Chriſtianis, quibuſdam gradu pulſis, ipſa tandem multitudine perturbatus & quid de cetero ageret neſcius, cōſuluit tunc Traianum Imperatorē, adlegans præter obſtinationem nō ſacrificandi, nihil ſe ſcelerati de eis reperiſſe. Inſinuans quoque & illud: Surgere atque conuenire ſummo mane Chriſtianos, & Chriſtum tamquam Deum carminibus laure; & ad conſeruandam eorum diſciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera ſcelera prohibere. Ad quæ Traianus reſcripſit: Chriſtianos inquirendos non eſſe, oblatos autem puniendos.

Langij.

Atqui inuenimus inquiſitionē quoq; in nos prohibitam. Plinius enim Secundus quum prouinciam regeret, quibuſdam Chriſtianis damnatis, quibuſdam gradu pulſis, ipſa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, conſuluit tunc Traianum Imperatorem, adlegans præter obſtinationem non ſacrificādi, nihil aliud ſe de ſacris eorum comperiſſe, quam cœtus antelucanos ad canendum Chriſto vt Deo, & ad conſeruandam diſciplinam; homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera prohibentes. Tunc Traianus reſcripſit: hoc genus inquirendos quidem non eſſe, oblatos vero puniri oportere. H

*De hoc Plinij Iunioris reſcripto ad Traianum vide adnotationes noſtras in Apologet. cap. 2. num. 24.*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

A E

## Ex Apologetici cap. v. iuxta Euſebium hiſtor. Eccleſ. lib. 2. & Nicephorum lib. 2. cap. 8.

Ἵνα δὲ καὶ ἐκ τῆς γενέσεως διαλεχθῶμεν τῶν τοιούτων νόμων. παλαιὸν ἦν δόγμα, μηδένα θεὸν ὑπὸ βασιλέως καθιεροῦσθαι, πρὶν ὑπὸ τῆς συγκλήτου δοκιμασθῆναι. Μάρκος Αἰμύλιος οὕτως περί τινος εἰδώλου πεποίηκεν Ἀλβούρνου. καὶ τοῦτο ὑπὲρ τοῦ λόγου ἡμῶν πεποίηται, ὅτι παρ᾽ ὑμῖν ἀνθρωπείᾳ δοκιμῇ ἡ θεότης δίδοται. ἐὰν μὴ ἀνθρώπῳ θεὸς ἀρέσῃ, θεὸς * οὐκ ἔσται. οὕτως κατά γε τοῦτο ἄνθρωπον θεῷ ἵλεων εἶναι προσῆκεν. Τιβέριος οὖν (ἐφ᾽ οὗ τὸ τῶν χριστιανῶν ὄνομα εἰς τὸν κόσμον ἐξήλυθεν) ἀγγελθέντος αὐτῷ ἐκ παλαιστίνης τοῦ δόγματος τούτου, ἔνθα πρῶτον ἤρξατο, τῇ συγκλήτῳ ἀνεκοινώσατο, δῆλος ὢν ἐκείνοις ὡς τῷ δόγματι ἀρέσκεται. ἡ δὲ σύγκλητος, ἐπεὶ οὐκ αὐτὴ δεδοκιμάκει, ἀπώσατο. ὁ δὲ ἐν τῇ αὐτοῦ ἀποφάσει ἔμεινεν, ἀπειλήσας θάνατον τοῖς τῶν χριστιανῶν κατηγόροις.

**Rufini.**

Vt de origine aliquid retractemus eiuſmodi legum. Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus. Sicut Marcus Æmilius de Deo ſuo Alburno. Facit & hoc ad cauſſam noſtram, quod apud vos humano arbitratu diuinitas penſitatur. Et niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum intrauit, adnunciata ſibi ex Syria Palæſtina, quę illic veritatem iſtius diuinitatis reuelauerant, detulit ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragii ſui. Senatus quia non ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.

**Chriſtophorſoni.**

Vt de origine retractemus eiuſmodi legum. Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probaretur. Vt M. Æmilius de Deo ſuo Alburno. Facit & hoc ad cauſſam noſtram, quod apud vos de humano arbitratu diuinitas penſitatur. Niſi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo iam Deo propitius eſſe debebit. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, adnunciatum ſibi ex Syria palæſtina, quæ illic veritatem ipſius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua ſuffragii ſui. Senatus quia non ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum.

**Langii.**

Vt de origine aliquid retractemus eiuſmodi legum. Vetus erat decretum, ne quis Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à ſenatu comprobaretur. Tiberius ergo, cuius tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introiuit, adnunciatam ſibi ex Palæſtina veritatem dogmatis iſtius, (ibi enim prima initia ſumpſerat) ad ſenatum retulit, cum prærogatiua ſuffragii ſui. Senatus quia ipſe non probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus mortem Chriſtianorum accuſatoribus.

B F

*Hunc locum explicatum habes ſupra in Adnotationibus noſtris Apolog. cap. 5. num. 55. 56. 57. & 58.*

C G

## Ex eodem Apologetici v. cap. iuxta Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 2. cap. 24. & Nicephor. lib. 2. cap. 37.

Ἐντύχετε τοῖς ὑπομνήμασιν ὑμῶν. ἐκεῖ εὑρήσετε, πρῶτον Νέρωνα τοῦτο τὸ δόγμα, ἡνίκα μάλιστα ἐν ῥώμῃ, τὴν ἀνατολὴν πᾶσαν ὑποτάξας, ὠμὸς ἦν εἰς πάντας, διώξαντα. τοιούτῳ τῆς κολάσεως ὑμῶν ἀρχηγῷ καυχώμεθα. ὁ γὰρ εἰδὼς ἐκεῖνον, νοῆσαι δύναται ὡς οὐκ ἂν εἰ μὴ μέγα τι ἀγαθὸν ἦν ὑπὸ Νέρωνος κατακριθῆναι.

**Rufini.**

Conſulite commentarios veſtros, illic reperietis primum quoque Neronem in hanc ſectam, tum maxime Romæ orientem, Cæſareo gladio ferociſſe. Tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.

**Chriſtophorſoni.**

Conſulite veſtros commentarios, illic reperietis, primum Neronem in hanc ſectam, tum maxime Romæ orientem, Cæſareano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ gloriamur? Quienim ſcit illum, intelligere poteſt, non niſi aliquod bonum grande à Nerone damnatum.

**Langii.**

Conſulite commentarios veſtros, illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam, tum maxime Romæ orientem, Cæſareano gladio ferociſſe. Sed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim illum ſcit, intelligere poteſt, non niſi aliquod bonum à Nerone damnatum.

*Vide hunc locum explicatum Adnot. noſtris in Apolog. cap. 5. num. 59.*

D H

## Ex eodem v. cap. Apolog. iuxta Euſebium Eccleſ. hiſt. lib. 3. cap. 20. ſeu 15. & Nicephor. lib. cap. 10.

Πεπειράκει ποτὲ καὶ Δομιτιανὸς ταυτὸ ποιῶν ἐκείνῳ, μέρος ὢν τῆς τοῦ Νέρωνος ὠμότητος. Ἀλλ᾽ οἶμαι ἅτε ἔχων τι συνέσεως, τάχιστα ἐπαύσατο, ἀνακαλεσάμενος οὓς ἐξηλάκει.

**Rufini.**

Tentauit aliquando & Domitianus ſimile aliquid, portio Neronis de crudelitate. Sed quaſi homo cito deſtitit, ita vt etiam eos quos in exſilium miſerat, reuocaret.

**Chriſtophorſoni.**

Tentauerat & Domitianus, portio Neronis, de crudelitate. Sed qua & homo, facile cœptum repreſſit, reſtitutis etiam quos relegauerat.

**Langii.**

Tentauerat & Domitianus portio Neronis de crudelitate, eadem quæ ille, facere. Sed vt opinor, aliquid habens rationis & prudentiæ, mature deſtitit, reuocatis etiam iis quos in exſilium egerat.

*Paucis etiam de hoc aliquid adtigimus Adnotat. noſtris in idipſum cap. num. 60. & 61.*

A E

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, LIBRI DE SPECTACVLIS GRÆCI, CITATIO, ex libro de Corona Militis, cap. 6.

SIc itaq; & circa voluptates SPECTACVLORVM infamata conditio eſt, ab eis, qui natura quidem, Dei omnia ſentiunt, ex quibus Spectacula inſtruuntur, ſcientia autem deficiunt. Sed & huic materiæ, propter ſuauiludios noſtros, Græco quoque ſtylo ſatisfecimus.

*Ampliſſime eandem materiam tractatam habes ſupra Tom. 1. non modo ab ipſo Auctore libro Latine conſcripto de Spectaculis, ſed & in Adnotationibus noſtris, & vero loqui hic Auctorem de dicto libro de Spectac. non de libro de Corona militis, etiam ante me Rhenanus adnotauit.*

B F

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, LIBRI DE VIRGINIBVS VElandis Græci, Notulæ, ex eiuſdem tituli libro cap. 1.

PROPRIVM iam negotium paſſus meæ opinionis, Latine quoq; oſtendam, virgines noſtras velari oportere, ex quo tranſitum ætatis ſuæ fecerint; hoc exigere veritatem, cui nemo præſcribere poteſt.

*Ex eo quod dicit Auctor,* Latine quoque, *recte meo indicio colligit Rhenanus, antea Græce ſcriptum fuiſſe librum eiuſdem tituli,* de Virginibus velandis, *de qua materia tum Auctor, tum nos latiſſime ſupra Tom. 2. in Adnotat. noſtris.*

C G

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, DE BAPTISMO LIBRI MENTIO, EX eiuſdem tituli libro cap. 15.

SED circa hæreticos ſane quid cuſtodiendum ſit, digne quis retractet. Ad nos enim æditum eſt. Hæretici autem nullum habent conſortium noſtræ diſciplinæ, quos extraneos vtique teſtatur ipſa ademptio communicationis. Non debeo in illis cognoſcere quod mihi præceptum eſt, quia non idem Deus eſt nobis & illis, nec vnus Chriſtus, id eſt, idem. Ideoque nec baptiſmus vnus, quia non idem. Quem quum rite non habeant, ſine dubio non habent; nec capit numerari quod non habetur; ita nec poſſunt accipere, quia non habent. Sed de iſto plenius iam nobis in GRÆCO digeſtum eſt.

*His verbis etiam materia præcipua commemoratur libri Græci de Baptiſmo. Quandoquidem vero in dictum librum de Baptiſmo Adnotat. noſtris num. 106. nos hic tractaturos polliciti ſumus, quæ ſit Tertulliani ſententia de* Hæreticorum baptiſmo, *certe negare non poſſumus idipſum ſenſiſſe quod B. Cyprianus, & fortaſſis propterea ſuppreſſum poſſit quis dicere hunc libellum, quum per Nicenum Concilium retractata eſt ea Africanorum quorumdam Epiſcororum ſententia, quemadmodum in Vita B. Cypriani, & in Argumento* Concilii Carthaginienſis de baptizandis hæreticis, *latius deduximus. Nec vero mirandum, ſi illud paradoxon amplexus ſit Tertullianus, quum eodem fere tempore celebratum fuiſſe videatur Concilium illud ſub Agrippino Epiſcopo Carthaginienſi, cuius meminit B. Cypr. Epiſt. 71. ad Quintum, quod ipſum quoque & coætaneos Epiſcopos Africanos in eam pertraxit opinionem. Hoc enim ſatis indicare videtur ille Epiſtol. 70. ad Ianuar. quum dicit ſententiam illam iampridem ab Anteceſſcribus ſtatutam, & apertius Epiſt. 73. ad Iubaianum, multos dicens annos interceſſiſſe, ex quo ſub Agrippino Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt. Atqui inter tempus, quo Tertullianus ante omnem hæreſim librum de Baptiſmo conſcipſit, & Africanum primum de* hæreticorum baptiſmo, *Concilium Epiſcoporum 72. quod celebratum fuit anno Domini 255 annos interceſſiſſe ciciter 50. latius in vita Auctoris noſtra comprobatur. Porro ad argumenta pro dicto Paradoxo ab auctore hic adlegata, reſponſionem videre erit in noſtris Prolegomenis.*

D H

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM FRAGmenta Parænetica.

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, AD AMICVM PHILOSOPHVM DE NVPTIARVM ANGVStiis libri, Notulæ, ex B. Hieronymi epiſt. 28. ad Euſtochium, & lib. 1. aduerſus Iouinianum.

ET in principio Libelli præfatus ſum, me de anguſtiis Nuptiarum aut nihil omnino, aut parum dicturum, & nunc eadem admoneo; vt ſi tibi Placet ſcire quot moleſtiis virgo libera, quot vxor adſtricta ſit, legas Tertullianum ad Amicum Philoſophum ſcribentem, & de Virginitate alios Libellos, & B. Cypriani volumen egregium; & Papæ Damaſi ſuper hac re verſu ac proſa compoſita, & Ambroſii noſtri, quæ nuper ſcripſit ad Sororem, opuſcula.

Non eſt huius loci nuptiarum anguſtias deſcribere, & quaſi in communibus locis Rhetorico exſultare ſermone; plenius ſuper hac re contra Heluidium, & in eo libro quem ad Euſtochium ſcripſi, arbitror abſolutum. Certe Tertullianus, quum adhuc eſſet adoleſcens, luſit in hac materia, & præceptor meus Gregorius Nazianzenus, virginitatem & Nuptias diſſerens, Græcis verſibus explicauit.

*Hactenus B. Hieronymus, cuius integras periodos adduximus in medium, tum ne quid mutilum eſſet, tum vt intelligat Lector, qui Veterum de Virginitate hodie tantopere controuerſa ſcripſerunt, quocirca magnopere optarim exſtare hunc Auctoris libellum, ſiue proſa conſcriptum, ſiue potius, quod per verbum,* luſit, *indicari videtur, carmine. Quo fit magis, vt mihi non probetur cuiuſdam viri eruditi cenſura, qui exiſtimabat hunc eundem eſſe librum, cum illo qui inſcribitur infra T. 5.* Exhortatio ad caſtitatem, *Præterquã enim quod* illum adoleſcens ſcripſiſſe *dicitur, & hunc ſub finem vitæ ſcriptum conſtet, etiam ex propoſito minime tractat* de moleſtiis nuptiarum. *Neque vero etiam illorum placet ſententia, qui duos diuerſos libros Tertulliani dictis locis videri volunt, quum vtrumque diſertis verbis B. Hier. inſcriptum ſignificet,* De moleſtiis nuptiarum. *Atqui an B. Hieronymus adſcribat Tertulliano etiam* alios *(quorum meminit)* de virginitate libellos, *poterat fortaſſis dubitari iuxta priores illius æditiones, ſi legeretur:* legas Tertulliani ad amicum Philoſophum, & de Virginitate alios Libellos. *Certe eiuſdem pene ſunt argumenti* ad Vxorem libri duo, *ac dicta* Exhortatio ad caſtitatem, *& non aliud tractat liber* de Velandis virginibus, *alios inſuper de* Virginitate, *Continentia, & Caſtitate ſeruanda locos complures apud Tertullianum, ex Indice noſtro inueniet Lector, & ſimiliter in Indice B. Cypriani. Cuius præter librum De habitu & diſciplina Virginum à B. Hieron. citatum exſtat etiam Epiſt. 62. ad Pomponium de Virginibus. Quibus omnibus in libris videat Lector & Adnotationes noſtras.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE FATO LIBRI, MENTIO ET FRAGMENTVM EX EIVSDEM LIB. DE Anima cap. 20. & Fulgentio Placiade de vocibus antiquis.

POTESTATES enimuero præſunt. Secundum nos quidem, Dominus Deus, & Diabolus æmulus; ſecundum communem autem opionem & prouidentia, & FATVM, & neceſſitas, & fortuna, & arbitrii libertas. Nam hæc & Philoſophi diſtinguunt, & nos ſecundum fidem diſſerenda, ſuo iam nouimus titulo.

*Hactenus Auctor, cuius quum nullum exſtet opus, vbi de quatuor illis tractet, mihi prorſus videtur adludere ad librum ſuo titulo* DE FATO *vtpote quem ab eo conſcriptum pateat ex citatione Fulgentii Placiadis, iam olim excuſi cum Hygini Mythologiis per verba ſequentia. Nam & Tertullianus in lib. quem de Fato ſcripſit, ita ait:* Redde huic fati primum problematis mancipatum. *in dict. Problema, lib. de vocibus antiquis.* De fato, *præterea ſub nomine Minutii Felicis olim extitiſſe* Libellum *tradit B. Hieronym Catal. ſcrip. Eccleſ. ſiue contra Mathematicos, qui tamen quum & ipſe diſerti ſit hominis, non videtur cum ſtylo Octauii Dialogi eius conuenire. Fortaſſis is ipſe liber eſt, quem Tertulliano hic adſcribimus, vtpote quem non modo diſertum, ſed eloquentiſſimum alicubi nuncupat. Alios qui aduerſus* Fatum *ſcripſerunt Auctores, ſupra citatos habes Tom. 1. Apol. cap. 1. nu. 17. & lib. de Anima cap. 39. nu. 449.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI OPERVM FRAGMENTA EXEGETICA.

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, DE MVNDIS ET IMMVNDIS ANIMALIBVS Quæſtionum citatio, ex B. Hieronymi Epiſt. 125. ad Damaſum.

QVÆRIT Damaſus inter ceteras quæſtiones Quæſt. 3. Si omnia Deus fecit bona valde; quare Noë DE MVNDIS ET IMMVNDIS ANIMALIBVS præcepit; cum im̄undum nihil bonum eſſe poſſit. Et in nouo Teſtamento poſt viſionem quæ Petro fuerat oſtenſa; dicenti: *Abſit Domine à me, quoniam commune & immundum numquam introiuit in os meum*; vox de cœlo reſpondit: *Quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris.* Reſpondere B. Hieron. ſe ſcribit, duabus tantum quæſtiunculis prætermiſſis nempe hac & ea, de qua in ſequenti Fragmento) Non (inquit) quo non potuerim & ad illas aliquid reſpondere, ſed quo ab eloquentiſſimis viris, Tertulliano noſtro, & Nouatiano, Latino ſermone ſint editæ; & ſi noua voluerimus adferre, ſit latius diſputandum, &c. Nam & Origenes de mundis & immundis animalibus in Leuitico plura diſſeruit.

*An iſtud referatur ad peculiarem aliquem librum eius tituli, quod magis tamen probatur, an vero ad tractatum ea de re per aliquot lineas Tertulliani l. 2. adu. Marc. cap. 18. Lectori liberum relinquimus iudicium. Hic dumtaxat adferemus ipſam reſponſionis ſummam in hæc verba:* Et ſi lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt; conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frenos impoſitos; *&c. Quod ipſum quum adſeratur, ſed alius verbis libro de Cibis Iudaicis infra Tom. 5. vel inde conſtat, ſicuti longe ex reliquo totius libri ſtylo, non eſſe Tertulliani, ſed potius* Nouatiani, *vtpote ad quem iam dictis verbis adludere videtur B. Hieronymus. Vbi de hac materia latius.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE CIRCVMCISIONE QVÆSTIONVM CITATIO, EX eodem B. Hieronym. loco.

AD quæſtionem Damaſi penultimam: Cur Abraham fidei ſuæ ſignum in Circumciſione ſuſcepit, reſpondet B. Hieron. verbis iam citatis altera præcedenti ſe illam prætermittere, quod à Tertulliano noſtro & Nouatiano Latino ſermone ſint æditæ: addens etiam Origenem in 4. ad Rom. ἐξηγήσεων τόμῳ DE CIRCVMCISIONE magnifice diſputaſſe.

*An peculiariter ſcripſerit Tertullianus* LIBRVM DE CIRCVMCISIONE, *non tam conſtat atque, de Nouatiano cui nominatim liber de* Circumciſione *inſcribitur à B. Hieron. Catal. Script. Eccleſ. Atqui etiam latiſſimum videre eſt apud Auctorem Tom. 1. l. adu. Iud. c. 3. & ibid. Adn. noſtis nu. 9. ex B. Cypr. l. 1. adu. Iud. c. 8. Exſtat quidem To. 4. nunc 9. operum B Hier.* LIBER DE VERA CIRCVMCISIONE, *quem Eraſmus coniicit eſſe* Tertulliani *ſed præterquam quod ſtylus non correſpondeat, contrarium conuincitur tum quod ſtylus non correſpondeat, contrarium conuincitur tum ex ſcripturis ibidem citatis iuxta verſionem B. Hier tum quod Manichæorum mentionem faciat; quo fit vt neque Nouatiano adſcribi poſſit, ſed potius (quod vir quidam eruditiſſimus cenſuit) Paulino adſcribendus ſit. Videatur vero etiam Tom. 3. Operum B. Cypr. Tractatus* De ratione Circumciſionis.

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE VESTIBVS AARON LIBRI MENTIO, EX B. HIERON. EPIST. 128. AD FAbiolam de Veſte ſacerdotali.

FERTVR in Indice SEPTIMII TERTVLLIANI LIBER DE VESTIBVS AARON, qui interim vſque ad hanc diem à me non eſt repertus. Si à vobis propter celebritatem Vrbis fuerit inentus; quæſo, ne meam ſtillam illius flumini comparet is. Non enim magnorum virorum ingeniis, ſed meis ſum viribus æſtimandus.

Veſtes Aaronis octo *ex cap. 28. Exod. recitantur, & explicantur latiſſime à B. Hieron. dicta Epiſt. de Veſte ſacerdotali, quarum quatuor,* fœminalia *nempe,* linea tunica, baltheus, *&* cidaris, *etiam ſacerdotibus erant communes, reliqua vero proprie Pontificum, vtpote,* Tunica talaris Hyacinthina cum tintinnabulis, Superhumerale *ſiue* Ephod, Rationale, *&* Lamina aurea. *Quo adeo Lectorem remittimus.*

Veſtes

A E

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM FRAGmenta aduerſus Hæreſeis.

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, DE TRINITATE LIBRI NOTVLA.

Exod. 28. SCRIPSIT (*inquit B. Hieron. Catal. Script.*) Nouatianus DE TRINITATE grande volumen, quaſi ἐπιτομὴν operis TERTVLLIANI, quod plerique neſcientes Cypriani exiſtimant.

*An Tertullianus præter librum aduerſus Praxean, alium* DE TRINITATE *ſcripſerit, merito dubitationem iniciunt hæc B. Hieronymi verba: Quum enim ἐπιτομὴ grandioris ſit operis compendium, & Nouatiani de Trinitate liber (vtpote grande volumen, vel ipſo teſte,) prolixius multo ſit lib. adu. Praxean, oportebit, ſi mendoſi non ſint B. Hier. codices, alium de Trinitate librum à Tertulliano conſcriptum confiteri. Sin vero legamus (quod lectum forte ab illo fuit) ἐπίτασιν, cenſebitur Nouatiani liber, dilatatio argumenti à Tertulliano tractati lib. adu. Praxean. Idipſum cenſendum erit, ſi legamus μίμησιν, id eſt, imitationem, quum Tertullianum aliquoties imitetur. Nos itaque, quia non libenter abſque ms. codicibus lectionem veterum immutamus, maluimus etiam* LIBRVM DE TRINITATE *inter ea quæ deſiderantur* TERTVLLIANI *opera collocare. Maxime quum, etſi idem Argumentum lætius tractet Nouatianus de Patre Deo & Deo filio, tamen viciſſim latius tractetur à Tertull. adu. Praxean & Monarchianos, de Filio alio à Patre, quem illi eundem faciebant, ſicuti poſtea & Sabellius, contra quem paucioribus agit Nouatianus. Deinde latius ibi tractatur & verius de Spiritu ſancto, vtpote de quo Nouatianus vnicum caput habeat. Vſque adeo vt ſi proprie loquamur, neque ἐπιτομὴ, quia grandius eſt opus, nec ἐπίτασις, quia in quibuſdam ſuccinctius, nec μίμησις, quia non per omnia imitatur, dici poſſit operis Tertulliani, liber Nouatiani.*

B F

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI DE CENSV ANIMÆ LIBRI ADVERSVS HERMOGENEM ARGVMENTVM & Fragmenta, ex libro de Anima, cap. 1. 3. 11. 22. & 24.

DE ſolo CENSV ANIMAE (*inquit Tertull.*) congreſſus Hermogeni, quatenus & iſtum ex materiæ potius ſuggeſtu, quam ex Dei flatu conſtitiſſe præſumpſit, nunc ad reliquas conuerſus quæſtiones, plurimum videbor cum Philoſophis dimicaturus.

C G

Vna iam congreſſione deciſa ADVERSVS HERMOGENEM, vt præfati ſumus, quia animam ex Dei flatu, non ex materia vindicamus, muniti & illic diuinæ determinationis inobſcurabili regula: *Et flauit* (inquit) *Deus flatum vitæ in faciem hominis*, &: *Factus eſt homo in animam viuam*, vtique ex Dei flatu. De iſto nihil amplius reuoluendum, habet ſuum titulum, & ſuum hæreticum. (Gen. 2. 1. Cor. 15.)

Ceterum ADVERSVS HERMOGENEM, qui eam (*nempe animam*) ex materia non ex Dei flatu contendit flatum proprie tuemur. Ille enim, aduerſus ipſius ſcripturæ fidem flatum in ſpiritum vertit, vt dum incredibile eſt ſpiritum Dei in delictum, & mox in iudicium deuenire, ex materia potius anima credatur, quam ex Dei ſpiritu. Idcirco nos & illic flatum eam defendimus, non ſpiritum, ſecundum ſcripturam & ſecundum ſpiritus diſtinctionem, & hic ſpiritum ingratis pronuntiamus, ſecundum ſpirandi & flandi conditionem, illic de ſubſtantia quæſtio eſt, ſpirare enim ſubſtantiæ actus eſt.

D H

Cetera animæ naturalia iam à nobis audiit Hermogenes, cum ipſorum defenſione & probatione, per quæ Dei potius quam materiæ propinqua cognoſcitur.

Nos autem, qui nihil Deo adpendimus, hoc ipſo animam longe infra Deum rependimus, quod natam eam agnoſcimus, ac per hoc dilutioris diuinitatis, exilioris fœlicitatis, vt flatum, non vt ſpiritum, & ſi immortalem, vt hoc ſit natiuitatis, ideoque & à primordio exorbitationis capacem, & inde etiam obliuionis ad finem. Satis de iſto cum Hermogene.

*His quinque locis Auctor, imprimis titulum & Argumentorum indicat:* DE CENSV ANIMÆ ADVERSVS HERMOGENEM, *vbi* cenſum *accipi pro origine, præterquam quod priori loco adnotauimus nu. 2. etiam vel inde patet, quod refertur hæreſis Hermogenis, quæ* non ex Dei flatu, ſed ex materia animæ originem conſtitiſſe contendebat. *Haud aliter atque* mundum factum dicebat non ex nihilo, ſed ex materia Deo coæterna, *aduerſus quam hæreſin ſupra diſputat Auctor lib. adu. Hermog. To. 3. Iam vero etiam duas ſcripturas adfert, quibus* animam Dei flatum *probaſſe ſignificat, Gen. 2. & 1. Cor. 15. In quibus quum ille, vti ſuæ hæreſi videretur fauere, vertiſſet:* ſpiritum vitæ, *pro eo quod alii:* contra ſcripturæ fidem, *vtpote quum Græce illic legatur πνοὴν, quod plerique malunt (vel B. Auguſt. teſte lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 24.) interpretari* flatum, *inſpirationem, aut adſpirationem, aut Animam, quam* Spiritum; *ſignificat tertio loco hic citato Auctor, ſe hoc egiſſe dicto libro, vt* flatum *potius tueretur quam* ſpiritum. *Quamquam interim alio ſenſu etiam ſpiritum agnoſcens Animam, à ſpirando, lib. de Anima, non per omnia conſentiat Catholicorum ſententiæ Tertullianus, qui ſpiritum proprie animam dicunt, non tamen ſpiritum ſanctum, atque adeo etiam dicto loco Geneſeos, & alibi, πνοὴν,* ſpiritum, *interpretantur. Verum de hoc illius Paradoxo Lectorem remiſimus ad noſtra Prolegomena, & aliquid in contrarium ibi aduotauimus num. 137. 140. 141. & 142. Deinde ſeſe ad inſtitutum propius* cetera naturalia animæ *pertractaſſe inſinuat aduerſus Hermogenem,* vt Dei potius quam materiæ propinqua anima probaretur. *Denique ne fortaſſis propterea quis animam cum Deo compararet,* eam longe infra Deum *defendiſſe ſe ſcribit dicto libro,* quod nata ſit, quod paſſibilis, quod exorbitationis capax, & inde etiam obliuionis adfinis ſit. *Vſque adeo vt totius pene libri argumentum, & quaſi fragmenta quædam ipſis iiſdem verbis repetita hic videre ſit apud Auctorem. Ceterum de* Hermogene ac Hermogenianis, *& variis eorum hæreſibus late ſupra tractauimus dicto libr. aduerſus Hermogenem, num. 1.*

A

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI ADVERSVS APELLETIANOS LIBRI, CITATIO, EX LIBRO DE CARNE Chriſti, cap. 8.

SED quoniam & iſti APELLETIANI carnis ignominiam prætendunt maxime quam volunt, ab igneo illo Præſide mali, ſollicitatis animabus adſtructam, & idcirco indignam Chriſto, & idcirco de ſideribus illi ſubſtantiam competiſſe, debeo illos de ſua paratura repercutere. Angelum quendam inclytum nominant, qui mundum hunc inſtituerit, & inſtituto eo pœnitentiam admiſerit. Et hoc, ſuo loco tractauimus. Nam eſt nobis ADVERSVS ILLOS LIBELLVS, an qui ſpiritum & voluntatem & virtutem Chriſti habuerit ad ea opera, dignum aliquid pœnitentia fecerit, quum angelum etiam de figura erraticæ ouis interpretentur. *Luc. 15.* B Teſte igitur pœnitentia inſtitutoris ſui, delictum erit mundus, ſiquidem omnis pœnitentia cõfeſſio eſt delicti, quia locum non habet niſi in delicto. Si mundus delictum eſt, quia corpus: & membra, delictum, erit proinde & cœlum, & cœleſtia cum cœlo. Si cœleſtia & quidquid inde conceptum prolatum que eſt, mala arbor malos fructus ædat neceſſe eſt. Caro igitur Chriſti de cœleſtibus ſtructa, de peccati conſtitit elementis, peccatrix de peccatorio cenſu, & par erit ipſius ſubſtantiæ id eſt, noſtræ quam vt peccatricem Chriſtus dedignatur induere. Ita ſi nihil de ignominia intereſt, aut aliam purioris notæ materiam excogitent Chriſto, quibus diſplicet noſtra, aut eam cognoſcant, qua etiam cœleſtis melior eſſe nõ potuit.

*An liber iſte*, ADVERSVS APELLEM, *an* ADVERSVS APELLETIANOS *inſcribi debeat, aliquamdiu me dubitare fecit, quod inter ceteros hæreticos, aduerſus quos ſcripſit Tertullianus, enumeret Vincent. Lirinenſ.* Apellem, *ex quo etiam hæſitauimus num plures eſſent Libelli ab Auctore aduerſus ipſum & diſcipulos eius conſcripti. Verum, quum toties facta* Apellis *mentione atque nullius alterius, nullam tamen libri cuiuſpiam aduerſus eundem mentionem præterquam hoc loco faciat: fit mihi credibile, & vnicum eſſe ab eo conſcriptum, &* ADVERSVS APELLETIANOS *inſcriptum. Maxime quum etiam* Apelletianos *B. Cyprianus nuncupet* Apellis C *diſcipulos Epiſt. 73. ad Iubaianum. Atqui obſcuriora quidem ſunt verba Tertulliani iam citata, ſed hoc ſibi vult*: Argumentum libri aduerſus Apelletianos *potiſſimum fuiſſe*: An Angelus ille igneus, mali præſes, qui & mundum hunc (*iuxta illos*) inſtituerat, & ſollicitatis animabus carnem adſtruxerat: ad quod tamen ſpiritum & voluntatem, & virtutem Chriſti habuerit: dignum aliquid pœnitentia fecerit. *Vtpote qui dicerent, ſicuti legitur de Præſcript. aduerſ. hæret. cap. 51. hæreſ.* 19 illum mundo inferiori permiſcuiſſe pœnitentiam, quia non illum tam perfecte feciſſet, quam ſuperior mundus inſtitutus fuiſſet. *Quod ipſum interim pulcre contra illos retorquet, illic vbi loquitur*: de ſua paratura repercutiens. *Verum quod vocat hunc Angelum* mali præſidem, *ſic explicat Epiphan. hæreſ 44. ex ſententia Apellis: Euaſit autem non bonus, & quæ ab ipſo facta ſunt, non bene facta ſunt, ſed ſecundum malam ipſius mentem ab ipſo creata ſunt.* De ſollicitatis *autem* animabus ab igneo illo Deo angelo *iuxta Apellem, vide ſupra Tom. 3. lib. de Anima cap. 23. num. 298. & cap. 36. num. 431. vbi addit ex conſequenti Auctor* conſtituiſſe eum ante corpora animas viriles ac muliebres. De mundo ab illo inſtituto *lib. de Præſcript. aduerſ. hær. cap. 34. & cap. 51. hæreſ. 19. numer. 324.* De carne hominis *proinde* ab eodem exſtructa, *nu. 78. cap. 8. li. de Carne Chriſti (ex quo hæc verba deſumpta ſunt) & libr. de Reſurr. carn. cap. 5. nu. 46. De* Chriſti *denique* carne, *non ab illo angelo creata, ſed* ex cœleſtibus ſideribus ſtructa, *contra Apellem late diſputat Auctor dicti li. de Carne Chriſti cap. 6. vbi num. 56. citauimus ſimilem locum li. 3. adu. Marc. Conſentit in his omnibus Epiphanius, præterquam quod inferiorem Deum nuncupet, quem Auctor* angelum igneum, *quem interim agnoſcunt B. Aug. hær. 23. B. Iſidor. li. adu. Marc. Hrabanus noſter, B. Honorius & Gratianus in Catalogis hæretic. Hoc peculiare Auctori,* F *quod* de pœnitentia angeli creatoris *iam dictum eſt, ſicuti & illud quod* figuram erraticæ ouis, *Luc. 15. de illo interpretati ſint, quaſi gaudium fuerit in cœlo apud angelos Dei, de illo vno peccatore ad pœnitentiam conuerſo. Quam contra maluit Auctor interpretari de homine lapſo, & per Chriſtum requiſito, ſicuti etiam alii Veteres omnes Hactenus de iis quæ ad intellectum huius Fragmenti faciunt, quia vero promiſimus integram nos hiſtoriam hic edituros de Apelle & eius hæreſibus, faciemus id quam pauciſſimus licebit.* APPELLES *itaque* diſcipulus Marcionis (*vti verbis Auctoris vtar dicti libr. de Præſcript. aduerſ. hæret. c. 6. 30. ac 51.*) lapſus in fœminam, deſertor continentiæ Marcionenſis (*quam ille ſimulabat*) ab oculis magiſtri Alexandriam ſeceſſit. Inde in alteram fœminam impegit, illam virginem Philumenen, poſtea vero immane proſtibulum, cuius ſignis & prodigiis inductus, librum ædidit, quem Phaneroſeis Philumenes inſcripſit, quam quaſi Prophetiſſam ſequebatur. *De quibus vide Adnotat. noſtras in eundem li. nu. 35. 173. 174. 175. 176. ac 324. & li. de Carne Chriſti ca. 6. nu. 54. & ca. 24. num. 180 Neque vero* deſertor *dumtaxat, ſed &* emendator Marcionis ac diſcipulus ſupra magiſtrum *appellatur ab Auctore li. 4. aduerſ. Marc. c. 17. cuius rationem videre eſt li. de Præſcript. iam citato num. 324. Neque vero in hoc ſolum, quod vti illic diximus*: Vnum Deum ſuperiorem faceret, alterum Dominum dicat, ſed angelum faciat, *verum &* G *in reliquis paulo prius receſitis hæreſibus*, quas ſeductus à Philumene nouas induxit. *In hoc nihil differens à Marcione, quod &* Deum Moyſi (*de quo lib. de Carne Chriſti cap. 6. nu. 57.*) & Legem ac Prophetas repudiarit, *ſicuti lib. de Præſcr. habetur ca. 51. hær. 19. n. 324. vbi etiam eadem cum Marcione hæreſis commemoratur*: De animarum ſolarum ſalute ac negata reſurrectione carnis, *quam adeo impugnat Auctor li. de Reſurr. carn. item quod* ſolo Apoſtolo vteretur, ſed Marcionis, id eſt, non toto. *De quibus pleriſque videre etiam eſt Epiphan. Theodor. & Damaſc. ſed hoc Auctori peculiare*: Habet præterea libros ſuos quos inſcripſit Syllogiſmorum, in quibus probare vult, quod omnia quæcumque Moyſes de Deo ſcripſerit, vera non ſint, ſed falſa ſint. *Quo fit vt de iis aliud nihil adnotandum occurrat, quantumuis huc Lectorem dicto nu. 324. remiſerimus. Hoc vnum adiiciam, non mirum eſſe, ſi Auctor* ADVERSVS APELLETIANOS *ſcripſerit, quod ſæpedicto li. de Præſcription. aduerſ. hæret. capite 30. adſerat:* adhuc ſuperfuiſſe proprios diſcentes & ſucceſſores Apellis.

H

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM FRAGMENTA PARADOXA.

D

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, LIBRI DE PARADISO ARGVMENTVM, EX LIB. de Anima, cap. 55.

*Gen. 1. Matth. 28. Apoc. 6.* SED in æthere habitatio noſtra, &c. Immo, inquis, in paradiſo, quo iam tunc & Patriarchæ & Prophetæ, adpendices Dominicæ reſurrectionis, ab inferis migrauerint. Et quomodo Ioanni in ſpiritu, paradiſi regio reuelata, quæ ſubiicitur altari, nullas alias animas apud ſe præter Martyrum oſtendit? quomodo Perpetua, fortiſſima martyr, ſub die paſſionis, in reuelatione paradiſi ſolos illic commartyras ſuos vidit? niſi quia nullis romphæa paradiſi ianitrix cedit, niſi qui in Chriſto deceſſerint? Non in Adam noua mors pro Deo, extraordinaria pro Chriſto, alio & priuato excipitur hoſpitio? *Gen. 3.* Agnoſce itaque differentiam ethnici & fidelis in morte, Si pro Deo occumbas, *&c.* non in mollibus febribus & in lectulis, ſed in martyriis, ſi crucem

tuam

A tuam tollas, & ſequaris Dominum, vt ipſe præcepit, tota paradiſi clauis tuus ſanguis eſt. Habes etiam De Paradiso à nobis Libellvm, quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini.

*Hactenus Auctor, ſed ſaniori modo intelligendus, vti adnotaimus ad dictum locum num. 606. 610. & 611. & ad lib. 4. aduerſ. Marc. ca. 34. nu. 551. latius denique in Prolegomenis inter Paradoxa, vbi ad omnia ipſius argumenta reſpondebimus. Hoc hic adnotandum, Auctorem librum hunc conſcripſiſſe non modo de* Pararadiſo *terreſtri, in quo Adam fuit conditus, & quo Enoch & Helias tranſlati feruntur, ſed etiam & magis ex propoſito de* Paradiſo *ſpirituali, quo Apoſtolus Paulus raptus legitur 2. Cor. 12. quamquam in hoc ab alijs Patribus diſſentiat, quod illi cœleſtem nuncupent illum Paradiſum, & nominatim B. Ambroſ. in dicti loci Commentario, Auctor vero illum non diſtinguit à ſinu Abrahæ, quem ſublimiorem tamen inferis confitetur. verum etiam de hoc in Prolegomenis inter Paradoxa. Terreſtrem vero Paradiſum diſertis verbis, de Adam loquens, agnoſcit Tom. 1. li. aduerſ. Iud. ca. 2. Tom. 2. lib. de Patientia ca. 5. & Tom. 3. li. de Reſurr. carnis c. 26. & li. 2. adu. Marc. c. 2. & 10. Rurſus libro adu. Valent. c. 20. vbi Ptolomæum Valent. irridens, quod* Paradiſum Archangelum quartum ſomniaret, *ſic iocatur:* Quoniam & hunc ſupra tertium cœlum pangunt, ex cuius virtute ſumpſerit Adam, deuerſatus illic inter nubeculas & arbuſculas. Satis meminerat Ptolomæus puerilium decipulorum, in mari poma naſci, & in arbore piſces, ſic & B in cœleſtibus nuceta præſumpſit. Operatur Demiurgus ignorans, & ideo fortaſſis non ſcit arbores in ſola terra inſtitui oportere. *Omnium autem apertiſſime hoc ipſo Tom. Carm. libr. de Iudicio Domini, cap. 8. & Geneſ. cap. 2. ac 3. Eundem agnouerat iam antea etiam B. Irenæus libr. 2. aduerſ. hær. cap. 55. & apertius libr. 5. cap. 5. vbi ait dixiſſe Presbyteros Apoſtolorum diſcipulos Enoch & Heliam tranſlatos eſſe in Paradiſum, vbi primus homo poſitus fuit, de quo ſcriptura (nempe Gen. 2.)* Et plantauit Deus Paradiſum in Edem contra Orientem, & poſuit ibi hominem. *Conſentit etiam B. Iuſtin. Mart. Apol. 1. vbi Homerum ſcribit, ad Paradiſi imitationem à Moyſe deſcripti, confinxiſſe Alcinoi hortum. Theophilus item libr. 2. ad Autolyc. & Nouatianus li. de Trinitate infra Tom. 5. & Lactant. Carm. de Phœnice, ad dicta verba ſcripturæ adludentes, Paradiſum in Oriente conſtitutum referunt. Denique Epiph. in Ancorato & aduerſ. Origeniſtas, ac Epiſt. ad Ioan. Epiſc. Hieroſol à B. Hieron. in Latinum tranſlata, latiſſime ex ſcriptura Gen. 2. ac 3. diſputat contra Origenem, Paradiſum de terreno ad cœleſtia transferentem, idipſum probans ex 4. illis (quorum aquam ſe bibiſſe ſcribit) fluminibus, ex paradiſo profluentibus, & ſuſtinens, apud Apoſt. 2. Cor. 12. aliud eſſe cœlum tertium, aliud paradiſum. Eandem hæreſin (ſicuti etiam ſupra adnotauimus dicto loco adu. Valent. n 246.) adtribuit B. Aug. lib. de hæreſ. Seleucianis, & Hermianis. Quorum omnium deliramenta iubet conticeſcere etiam B. Hier. Comment. in Danielem alicubi. Porro vbi ſit* Paradiſus, *varias diuerſorum ſententias hic recenſere ſuperfluum exiſtimo, quod ſcribat Beatus Auguſt. lib. 2. contra Pelag. & Celeſt. capite 32. hoc ad quæſtiones, quæ ſunt præter fidem, pertinere.* E F

# Q. SEPTIMII FLORENTIS
## TERTVLLIANI DE SPE FIDELIVM LIBRI
### ARGVMENTVM, EX LIB. 3. ADV. MARC. CAP. vlt. & B. Hierym. in capite 36. Ezechiel. & alibi, ac Gennadio.

*Iſai. 43.* De reſtitutione Iudææ (*inquit Tertullianus*) quam & ipſi Iudæi, ita vt deſcribitur, ſperant, locorum & regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio, in Chriſtum & in Eccleſiam, & habitum & fructum eius, competat, & longum eſt perſequi, C & in alio Opere digeſtum, quod inſcribimus De Spe Fidelivm, & in præſenti vel eo ocioſum, quia non de terrena, ſed de cœleſti promiſſione ſit quæſtio. *Apoc. 20. & 21. Gal. 4. Philipp. 3 Ezech 48. Apoc. 21. Apoc. 21.* Nam & confitemur in terra nobis regnum repromiſſum, ſed ante cœlum, ſed alio ſtatu, vtpote poſt reſerrectionem in mille annos, in ciuitate diuini operis Ieruſalem cœlo delata, quam & Apoſtolus matrem noſtram ſurſum deſignat, & πολίτευμα noſtrum, id eſt, municipatũ, in cœlo eſſe pronuntians, alicui: vtique cœleſti, ciuitati eum deputat. Hanc & Ezechiel nouit, & Apoſtolus Ioannes vidit

Neque enim (*inquit B. Hier.*) iuxta Iudaicas fabulas, quas illi δευτερώσεις appellant, gemmatam & auream de cœlo exſpectamus Ieruſalem, nec rurſum paſſuri circumciſionis iniuriam, nec oblaturi taurorum & arietum victimas, nec ſabbati otio dormiemus. Quod & multi noſtrorum, & præcipue Tertulliani Liber, qui inſcribitur De Spe Fidelivm, & Lactantii Inſtitutionum volumen ſeptimum pollicetur, & Victorini Pictabionenſis Epiſcopi crebræ expoſitiones, & nuper Seuerus noſter in Dialogo, cui Gallo nomen impoſuit. D *Apoc. 21.* Et vt Græcos nominem, & primum extremumq; coniungam, Irenæus & Appollinarius.

Nec ignoro (*inquit idem Præfat. libr. 18. in Iſaiam, ad eundem librum adludens*) quanta inter homines ſententiarum diuerſitas ſit, &c. de repromiſſionib. futurorum, & qua ratione intelligenda ſit Apocalypſis Ioannis, quam ſi iuxta litteram accipimus, Iudaizandum eſt, ſi ſpiritualiter vt ſcripta eſt diſſerimus, multorum Veterum videbimur opinionibus contraire, Latinorum, Tertvlliani, Victorini, Lactantii, Græcorum, vt ceteros prętermittam, Irenæi tantum Lugdunenſis Epiſcopi faciam mentionem, aduerſum quem vir eloquentiſſimus G Dionyſius Alexandrinæ Eccleſiæ Pontifex elegantem ſcribit Librum, irridens mille annorum fabulam & auream atque gemmatam in terris Ieruſalem, inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, otium Sabbati, circumciſionis iniuriam, nuptias, partus, liberorum educationem, epularum delicias, & cunctarum gentium ſeruitutem, rurſuſque bella, exercitus, ac trimphos, & ſuperatorum neces, mortemque centenarii peccatoris. Cui duobus voluminibus reſpondit Appollinarius.

Papias (*inquit idem Catal. Scrip. Eccl.*) dicitur mille annorum Iudaicam ædidiſſe δευτέρωσιν, quem ſecuti ſunt Irenæus & Apollinarius & ceteri, qui poſt reſurrectionem aiunt in carne in ſanctis Dominum regnaturum. Tertvllianvs quoque in Libro de Spe Fidelivm, & Victorinus Pictabionenſis, & Lactantius hac opinione ducuntur.

In diuinis (*inquit Gennad. li. de dogmat. Eccl. inter opera B. Auguſtini, ad eundem librum adludens*) repromiſſionibus nihil terrenũ vel tranſitorium exſpectamus, ſicut Melitani ſperant. Non nuptiarum copulam, ſicut Cerinthus & Marcus delirant. Non quod ad cibum vel ad potum pertinet, ſicut Papiæ Auctori, Irenæus, & H Tertvllianvs, & Lactantius adquieſcunt. Neque per mille annos poſt reſurrectionem regnum Chriſti in terra futurum, & ſanctos cum illo in deliciis regnaturos ſperamus, ſicut Nepos docuit, qui primam iuſtorum reſurrectionem, & ſecundam impiorum confinxit.

*Hactenus plura teſtimonia de argumento* Libri de spe Fidelivm, *quorum poſtremum ea potiſſimum de cauſſa adiecimus, quod cuique Auctori ſua Paradoxa adtribuat, quæ B. Hieron. prima facie omnibus in genere videtur impingere, quamquam interim ipſe opiniones appellet, non hæreſeis aut errores, reuerentiæ gratia, in quo illum etiam imitatus eſt Gennadius. Verum de aliorum ſententia (ne hic prolixiores ſimus) vti de reſponſione ad omnia Tertulliani, quæ ex ſcripturis loco hoc citat, argumenta, videat Lector noſtra Prolegomena inter paradoxa. Hic dumtaxat dicemus, videri nobis ſententiam Tertulliani eſſe mitiorem reliquis, nempe eam de qua ſcribit B. Auguſt. l. 20. de ciuit. Dei cap. 7. Hæc opinio eſſet vtrinque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpiritales, in illo Sabbato ſcilicet mille annorum, ad futuræ ſanctis per Domini præſentiam crederentur.* Nam etiam nos, *inquit ille*, hoc aliquando fuimus opinati. *Vſque adeo vt potius*

Tertulliano *competat id quod Gennadius Melitanis tribuit, quod* terrenum regnum Chriſti ſperauerit, *& deſcripſerit Libro* DE SPE FIDELIVM, *quam quod illi impingit de cibo & potu, quo factum fortaſſe, vt præ aliis Melitonem commendet Auctor libris illis pro Montano ſcriptis, quorum fragmenta ſequuntur, iuxta quod ibi ex B. Hieron. citabitur, vtpote quum etiam Montani fuiſſe hoc paradoxon ipſe his verbis dicto loco ſignificet:* Hanc, *&c.*] & qui apud fidem noſtram eſt nouæ Prophetiæ ſermo teſtatur, vt etiam effigiem ciuitatis, ante repræſentationem eius, conſpectui futuram in ſignum prædicarit. *Verba Auctoris, quibus quod dixi, confirmatur, ſunt imprimis illa ſupracitata:* de reſtitutione Iudææ, quomodo allegorica interpretatio in Chriſtum & Eccleſiam, & habitum & fructum eius competat, & longum eſt perſequi, *&c. Si enim* allegorica, *ergo non litteralis, & proinde perperam illi impingeret quis (quod in Cerinthum magis competit & Dimœritas iuxta Epiphan.) inſtaurationem templi, hoſtiarum ſanguinem, otium Sabbati, & circumciſionis iniuriam. Eodem pertinet quod paulopoſt eodem loco ſubiũgit:* Hanc *(nempe Ieruſalem ciuitatem cœlo delatam)* dicimus, excipiendis reſurrectione ſanctis, & refouendis omnium bonorum, vtique ſpiritualium, copia, in compenſationem eorum, quæ in ſeculo vel deſpeximus vel amiſimus, à Deo proſpectam. Nam ſi ſpiritualium bonorum copia, *ergo non temporalium, quam alij ſomniant. In hoc interim cum aliis ille conſentit (quamquam etiam erronee) quod confiteatur, in terra quidem regnum nobis repromiſſum, ſed ante cœlum.*

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM ADVERSVS ECCLEſiam pro Montano ſcriptorum Notulæ.

## Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, LIBRORVM SEX DE ECSTASI MENTIO, EX B. HIERON. CATAL. Script. Eccleſ. & Nicephoro lib. 4. hiſt. Eccleſ. cap. 22 ac 34.

HIC (*inquit B. Hieron. de Tertulliano, & ipſis iiſdem verbis Nicephorus*) quum vſque ad mediam ætatem Presbyter Eccleſiæ permanſiſſet, inuidia poſtea & contumeliis clericorum Romanæ Eccleſiæ, ad Montani dogma delapſus, in multis libris nouæ Prophetiæ meminit, ſpecialiter autem aduerſus Eccleſiam texuit volumina, De Pudicitia, de Fuga in perſecutione, de Ieiuniis, de Monogamia, DE ECSTASI LIBROS SEX.

TERTVLLIANVS, (*inquit idem*) ſex voluminibus aduerſus Eccleſiam æditis, quę ſcripſit περὶ ἐκστάσεως, *&c.*

Melitonis (*inquit idem in Melitone*) elegans & declamatorium ingenium, laudans Tertullianus in Libris VII. aduerſus Eccleſiam pro Montano, dicit eum à pleriſque noſtrorum Prophetam putari.

*Hactenus ille. Quorum ex poſteriori loco apparet Græce potius quam Latine hos libros fuiſſe conſcriptos, ſicuti dicemus in ſequenti fragmento latius.*

*Nos autem promiſſis vt ſtemus, quid* Ecſtaſis *Auctori, quid ve aliis ſcriptoribus antiquis Eccleſiaſticis, paucis ſubiungendum duximus. Definitio in genere inuenitur T. 3. ſupra li. de Anima, ca.* 45. Ecſtaſin dicimus exceſſum ſenſus, & amentiæ inſtar. Sic in primordio ſomnus cum Ecſtaſi dedicatus: *Et miſit Deus Ecſtaſin in Adam, & obdormiuit.* Somnus enim corpori prouenit in quietem, Ecſtaſis animæ acceſſit aduerſus quietem, & inde iam forma ſomnum Ecſtaſi miſcens. *Et paulopoſt:* Hic erit proprietas Amentiæ huius, quia non fit ex corruptela bonæ valetudinis, ſed ex ratione naturæ, non enim exterminat, ſed auocat mentem. Aliud eſt concutere, aliud mouere, aliud euertere, aliud agitare. Igitur quod memoria ſuppetit, ſanitas mentis eſt, quod ſanitas mentis ſalua memoria ſtupet, amentiæ genus eſt. Ideo non dicimur furere, ſed ſomniare, ideo & prudentes, ſiquando ſumus, ſapere enim noſtrum licet obumbretur, non tamen extinguitur, niſi quod & ipſum poteſt videri vacare tunc. Ecſtaſin autem hoc quoque operari de ſuo proprio, vt ſic nobis imagines ſapientiæ inferat, quemadmodum & erroris. *Breuior vero & inſtituto Auctoris magis conformis eſt illa, quæ habetur eiuſdem lib. cap.* 11. *vbi de eodem Adamo loquitur:* Cecidit, *inquit*, Ecſtaſis ſuper illum, ſancti ſpiritus vis, operatrix Prophetiæ, *& cap.* 21. In illum Deus amentiam immiſit, ſpiritalem vim qua conſtat Prophetia. *Atqui prius illud* Ecſtaſeos *genus aliquo modo in Adamo agnoſci potuit, poſterius hoc non item, vtpote quod pertinere videatur ad Montani, Priſcæ ac Maximillæ enthuſiaſmos comprobandos, quos in* Ecſtaſi, *& vt amentes, loqui ſolere confitebantur ipſorum diſcipuli, & inter eos poſt mediam ætatem ipſe Tertullianus. Huc pertinet illud de Priſca aut Maximilla eiuſdem lib. de Anima cap.* 9. Eſt hodie ſoror apud nos reuelationum chariſmata ſortita, quas in Eccleſia, inter Dominica ſollennia per ECSTASIN in ſpiritu patitur. *Hoc eſt enim quod ſibi vult lib.* 4. *adu. Marc. ca.* 22. *vbi explicans illud Luc.* 9. *de Petro:* Sed neſciens quid diceret. Quomodo, *inquit*, neſciens? vtrumne ſimplici errore, an irratione (*qua ſignificatione etiam dixit lib. aduerſ. Praxean cap.* 15. neque Petrum & Ioannem & Iacobum viſionem Dei ſine irratione & amentia expertos eſſe) quam defendimus in cauſſa nouæ Prophetiæ, gratiæ Ecſtaſin, id eſt, amentiam conuenire. In ſpiritu enim homo conſtitutus, præſertim quum gloriam Dei conſpicit, vel quum per ipſum Deus loquitur, neceſſe eſt excidat ſenſu, obumbratus ſcilicet virtute diuina, de quo inter nos & Pſychicos eſt quæſtio. *Vbi (ſicuti latius infra Tom 5. libr. de Ieiuniis adu. Pſychicos) per* Pſychicos *intelligit Catholicos, & ad hos* SEX DE ECSTASI LIBROS *adludit, quos contra Eccleſiam ſcripſiſſe certum eſt. At pulcre contra Montaniſtas Epiph. hær.* 48. *poſtquam ſcripturis probauit veros Prophetas cum conſtanti ratione & intelligentia locutos ex inſtinctu Spiritusſancti, ſana mente & corpore, ad Montani Prophetiam veniens: probat eum neque ſtabili mente vaticinatum, neque intelligentiam mentis habuiſſe, ex propriis ipſius Montani verbis. Quid? quod ſcripturam ſupradictam Gen.* 2. *nihil pro illis facere doceat:* Nam, *inquit, ipſi Adam Deus induxit* ecſtaſin *ſomni, non* ecſtaſin *emotionem mentis.* Ecſtaſis *autem iuxta multas differentias modum habet. Dicitur enim* Ecſtaſis, *ſtupor ob excellentiam admirationis. Dicitur &* Ecſtaſis *inſania, eo quod à mente amoueat. Verum illa ſomni* Ecſtaſis, *hoc eſt, ſopor, iuxta alium modum dictus eſt, iuxta naturalem actionem, maxime, eo quod profundiſſime ſancto Adamo inductus eſſet. Quem amplius* Ecſtaſin *appellauit, eo quod fecerit ipſum ad tempus non ſentire dolorem, propterea quod accepturus erat coſtam ab ipſo, & ipſam formaturus in mulierem. At non erat mentis* Ecſtaſis, *ac intelligentiæ emotio. Statim enim vt ſurrexit, agnouit & dixit:* Hoc nunc os ex oſſibus meis, *&c. Nouit enim, velut vides, præterita quando erat in ſomno: dicens:* Hoc nunc ex oſſibus meis. *Agnouit præſentia, poſtquam facta eſſet mulier, agnoſcens eam de corpore ſuo ſublatam. Vaticinatus eſt futura, nimirum:* Ea gratia relinquet homo patrem ſuum & matrem, *&c. Hæc autem non ſunt viri mente moti, neq; intelligentia priuati, ſed ſanam mentem habentis. Eodem pertinere videtur quod B. Hieron. Quæſt. Hebr. in Geneſim adnotauit: Pro* ECSTASI, *id eſt, mentis exceſſu, in Hebræo haberi* Tardema, *quod Aquila καταφορὰν, Symmachus κάρον, id eſt, grauem & profundum ſoporem interpretati ſunt. Denique ſequitur:* Et dormiuit. *Idipſum verbum & in Ionæ ſtertentis ſomno poſitum eſt. Atqui nihil pro Montani inſana prophetia facere illud de Petro:* Neſciens quid diceret. *Alij illud referri malunt ad locutionẽ inconſideratam, vti ſolent animo conſternati, eo quod addatur apud Marcum:* Erant enim timore exterriti, *& illud certum eſt, nihil ibi Petrum prophetaſſe. Porro nititur quidem etiam Auctor ad eiuſdem nouæ Prophetiæ confirmationem detorquere locum Apoſtoli* 1. *Cor.* 14. *his verbis, lib.* 5. *aduerſ. Marc. cap.* 8. Ædat aliquem Pſalmum, aliquam viſionem, aliquam orationem, dumtaxat ſpiritalem in ECSTASI, id eſt, amentia, ſi qua linguæ interpretatio acceſſerit. Probet etiam mihi, mulierem apud ſe prophetaſſe, ex illis ſuis ſanctioribus fœminis, magnidicam. *Verum, præterquam quod illud:* in Ecſtaſi, *ibi non legatur apud Apoſtolum, ac quod dicatur ibidem:* Et Spiritus Prophetarum Prophetis ſubiectus eſt, *ex proximis Apoſtoli verbis, Montanum, & proinde Tertullianum refutat B. Hieron. Prolog. Comment. in Habacuc. Propheta, inquit, viſio eſt, &, aduerſus Montani dogma peruerſum, intelligit quod videt, nec vt amens loquitur, nec in morem inſanientium fœminarum, dat ſine mente ſonum. Vnde & Apoſtolus iubet, vt ſi prophetantibus alijs, alij fuerit reuelatum, taceant qui prius loquebantur. Ex quo intelligitur, quum quis voluntate reticet, & alteri locum dat ad loquendum, poſſe & loqui & tacere quum velit. Qui autem in* ecſtaſi, *id eſt, inuitus loquitur, nec tacere, nec loqui in ſua poteſtate habet. Eodem pertinet etiam illud eiuſdem Prologo in Nahum Prophetam: Non enim loquitur in ἐκστάσει, vt Montanus, & Priſca, Maximillaque delirant, ſed quod prophetat, liber eſt Viſionis intelligentis vniuerſa quæ loquitur.*

Gen. 2.

Q SE

TERTULL OPERA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI LIBRI, ADVERSVS APOLLONIVM NOTVLÆ EX B. HIERON. CATAL. & Nicephoro.

SPECIALITER autem aduerſus Eccleſiam (*inquiunt illi locis ſupra citatis de* Tertulliano) texuit volumina, de Ecſtaſi lib. ſex, & ſeptimum ADVERSVS APOLLONIVM.

APOLLONIVS (*inquit B. Hieron.*) vir diſſertiſſimus ſcripſit aduerſus Mõtanum, Priſcillam, & Maximillam inſigne & longum volumen, in quo adſerit Montanum & inſanas Vates periiſſe ſuſpendio, & multa alia. In quibus de Priſcilla & Maximilla refert: Si negant eas accepiſſe munera, confiteantur non eſſe Prophetas qui accipiunt, & mille hoc teſtibus probabo. Sed & ex aliis fructibus probantur Prophetæ. Dic mihi, crinem fucat Propheta, ſtibio oculos linit? Propheta veſtibus & gemmis ornatur? Propheta tabula ludit & teſſeris? Propheta fœnus accipit Reſpondeant, vtrum hoc fieri liceat an non. Meum eſt probare (*ſic enim lego, pro: approbare*) quid fecerint. Dicit in eodem libro, quadrageſimum eſſe annum, vſque ad tempus quo ipſe ſcribebat librum, ex quo hæreſis Cataphygarũ habuerit exordium, TERTVLLIANVS ſex voluminibus aduerſus Eccleſiam æditis quæ ſcripſit περὶ ἐκστάσεως, ſeptimum proprie ADVERSVS APOLLONIVM elaborauit, in quo omnia quæ ille arguit, conatur defendere. Floruit autem APOLLONIVS ſub Commodo Seueroque Imperatoribus.

*Duabus de cauſſis mihi perſuaſum eſt, librum hunc* Aduerſus Apollonium *cum ſex præcedentibus, non modo Latine, ſed & primo Græce æditos. Primum, quod Græcus fuerit & Græce ſcripſerit* Apollonius, *vtpote alius ab eo, quem deinceps* B. Hieron. *Romanum Senatorem commemorat, tum quod is Græce titulum recitet* περὶ ἐκστάσεως. *Nolui tamen imprimis fragmentis coniungere, quod contra Eccleſiam ſcripti ſint.*

*Porro quum adſerat B. Hieron.* Tertullianum omnia quæ Apollonius arguit, conatum defendere, *inuenimus veriſſimum eſſe quod ſcripſit de illo B. Auguſt. lib. de Hæreſ. ad Quoduult Deum, quod tranſierit Tertullianus ad Cataphrygas, quos ante deſtruxerat. Imprimis enim ſupra lib. de Præſcript. adu. hær. capit. 52. hær. 21. diſertis verbis* hæreticos *vocat,* qui dicuntur: ſecundum Phrygas, *&c.* qui dicebant in Apoſtolis quidem Spiritum ſanctum fuiſſe, Paracletum non fuiſſe, & Paracletum plura in Montano dixiſſe, quam Chriſtum in Euangelium protuliſſe, nec tantum plura, ſed etiam meliora atque maiora. *Vbi vide Adnotat. noſtras numer. 327. & nonnihil in vita Auctoris. Aduerſus* fucos crinium & oculorum ſtibio infectionem, *quam tamen in Prophetiſſis iſtis videtur defendiſſe, agit nominatim ſupra Tom. 2. lib. de Habitu muliebri, cap. 4. & apertius li. de Cultu fœminarum ca. 5. agens contra eas* quæ oculos fuligine collinunt, *reprehendentes artificem Deum quem emendant, & cap. 6.* eas quæ croco capillum vertunt, male ſibi flammeo capiti auſpicantes, & cerebro perniciem adferentes, *quo loco vide & Adnotat. noſtras nu. 22. 23. 25. & 27. Aduerſus* veſtium & gemmarum ornatum, *quem etiam in illis tolerabat, agit dem & To. 2. li. de Pallio, c. 4. & toto libro: De Habitu muliebri: peculiariter vero de* gemmis, *ca. 6. de quo & Adnotationes noſtras ibidem videre eſt n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 15. 37. 38. 43. 45. 49. 50. 51. 52. 57. 58. 59. 61. & 64.* Tabularum ludum & teſſeratum, *quem hic non reprobat, quaſi aliud agens, in Prophetis ſiue Doctoribus tacite reprehendit ſuprat Tom. 3. li. de Carne Chriſti, c. 7. in hæc verba:* Oro te Apelles, vel te Marcion, ſi forte tabula ludens, *&c.* tali nuntio auocareris, *&c. quod paucis ibidem adtigimus num. 71. Denique de* fœnoris fructu *à Chriſto, quod tamen accipiebat Montanus, interdicto Luc. 6. agit latiſſime li. 4. aduerſ. Mar c. c. 17. de quo & nos ibidem Adnotat. noſtris n. 236. & 237. Ceterum de tempore quo cœperunt Cataphryges hæretici, aliquid diximus loco ſupracitato li. de Præſcr. adu. hæret. & latius tractauimus in vita Auctoris, vbi etiam de* Seueri Imperio.

# Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, OPERVM PLVRIVM quæ deſiderantur mentio, ex iiſdem B. Hieron. & Nicephori locis, ac Vincentio.

FERTVR (*inquit de Tertulliano B. Hieron.*) vixiſſe vſque ad decrepitam ætatem, & multa, quæ non exſtant, opuſcula condidiſſe.

Sed & alii plures (*inquit Nicephorus*) Chriſtiano plane animo pro fide noſtra decertarunt, & aduerſus hæreſeis depugnarunt, Eccleſiæque ſtatu ac moribus receptis, aliiſque quæ vel ſcriptis vel ſine ſcriptis à maioribus accepiſſent, in litteras relatis, libros plurimos poſteritati reliquerunt. Quibus Caius (*de quo plura in Vita Auctoris*) & TERTVLLIANVS merito ſunt adnumerandi, qui plurima certe & pulcherrima ediderunt ſcripta, quæ ſigillatim recenſere præſentis inſtituti non eſt. Scripſit autem de Pudicitia, &c. & plures alios.

*Hactenus illi. Et vero vtinam exſtaret* INDEX SEPTIMII TERTVLLIANI, *cuius ſupra fit mentio in fragmento libri de Veſtibus Aaron, non dubium quin multorum præterea ſcriptorum eius fieret mentio. An vero plura ſcripſerit aduerſus hæreticos, dubitare me fecit aliquando, quod de eo ſcribit Vincentius Lirinenſis: Sciunt* Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Iudæi, Gentiles, Gnoſtici. *ceterique quorum ille blaſphemias multis ac magnis, voluminum ſuorum molibus, velut quibuſdam fulminibus, euertit. Verum quum animaduerti omiſſos ibi* Valentinianos & Quintillam, *alioſque numero* XXV. *quorum catalogum recenſet li. de Præſcript. aduerſ. hæret. à c. 45. vſque ad finem, eoſque, aduerſus quos ſcripſit libri de Anima partem poſteriorem,* Simonem Samaritam, Carpocratem, Menandrum *& alios, perſuaſum habeo, nihil tale hodie deſiderari. Quare & B. Optatum Mileuit. libr. 1. aduerſ. Parmenianum corruptum eſſe exiſtimo, dum legitur:* Marcio, Praxeas, *Sabellius, & ceteri temporibus ſuis à Victorino Pictauienſi, & Zepherino Vrbico, &* Tertulliano Carthaginienſi vſque ad Cataphrygas, *& ab aliis adſertoribus Eccleſiæ Catholicæ ſuperati ſunt.* Sabellius *enim multo poſt tempore hæreſin ſuam cœpit, intermedio nempe inter Nouatianos & Donatiſtas, quod vel ex ætate Dionyſii Alexandrini manifeſtum ſit, qui primus aduerſus Sabellium ſcripſit, B. Cypriano coætaneus, ſed iunior. Atque adeo aut reliquus alius hæreticus in locum eius ſuppleri debet, aut certe caſtigandus ſic Optatus,* Praxeas Sabellianus, *eo quod Sabellius eam hæreſin ex parte reſuſcitarit, cum contendis, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, vnicam diuinitatis* ὁμοούσιον *& hypoſtaſin fuiſſe. Ceterum, vt de iis libris etiam aliquid dicamus qui perperam* Tertulliano *adſcribuntur ab Eraſmo, 4. olim, nunc ex æditione doctiſſimi Mariani Victorii Reatino 9. Tomo operum B. Hieron. imprimis, cur illi adſcribi non poſſit* Liber de vera Circumciſione, *ſupra diximus in fragmentis, Quæſt. de Circumciſione. Multo vero minus arridet ſtylus libri* Ad amicum ægrotum, *& etiam ibi ſcripturæ citantur iuxta æditionem B. Hieronymi, denique nullum Dialogum ſcripſiſſe legitur Tertullianus.*

Eadem ratione falſo adſcribitur TERTVLLIANO in quadam Italiæ Bibliotheca LIBER DE DEFINITIONIBVS FIDEI, quum ille idem ſit, qui inter Opera B. Auguſtini, *De Dogmatibus Eccleſiaſticis* inſcribitur. Quem etſi in Belgicis Bibliothecis B. Fulgentio, B. Iſidoro, immo & B. Gregorio Papæ adſcriptum ſubinde reperiamus; tamen Gennadii eſſe Maſſilienſis Presbyteri, doctiores quique mecum fatebuntur.

Q. SEPTIMII FLORENTIS TERTVLLIANI, CARTHAGINIENSIS PRESBYTERI, Operum Tomi Quarti Finis.

TERTULL

OPERA.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN